This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lp 26. 327.

FROM THE
DONATION FUND
OF
MDCCCXLII.
Rec° Oct. 12,
1847.

PLAUTI

BACCHIDES.

RECENSUIT

GODOFREDUS HERMANNUS.

LIPSIAE

APUD WEIDMANNOS

1845.

Ep226.327

GODOFREDUS HERMANNUS

S. D.

FRIDERICO RITSCHELIO.

Quis tibi videor, Friderice Ritscheli, qui fabulam Plauti a me ut potui emendatam, et eam quidem Bacchides ad te miserim, in qua tibi acceptum refero, ut tuum laborem in usum meum vertens operae compendium facere potuerim? Ecquae enim maior cogitari temeritas potest, quam fecisse me, quod te, postquam vetustissimas membranas pertractasti, multo rectius facturum sciebam? aut ecquae insignior perfidia, quam ad Plautum me videri redisse, quum nuper in Dresdensi conventu philologorum professus sim me hunc poetam, quem praeceptor meus Reizius pro sponsa mihi esse voluisset, tibi cessisse, qui eum summo iure tibi proprium vindicasses? Tenes reum manifestarium. Sed tamen caussam orandi apud aequum iudicem potestas dabitur. Accipe igitur, quo modo haec res acta sit. Interpretabar hoc hiberno semestri in scholis Academicis Bacchides, nihil minus quam de edenda ea fabula cogitans. Exeunte fere illo tempore

quum forte genero meo M. Hauptio in colloquio dicerem, esse nonnulla in illa fabula, quae me rectius quam adhuc factum esset constituisse crederem, suadere ille atque adeo hortari coepit ut ea ne premerem, sed sinerem in communem usum venire. Repugnabam, opponebamque praeter illa, quae modo dixi, hoc, quod neque operae pretium esset edi quorum pleraque quivis, qui in hoc genere non hospes esset, ipse posset corrigere, neque aequum videretur, si quid fortiore medicina indigeret, id non tibi relinqui, quem et sospitatorem Plauti exstiturum scirem, et mihi expertus essem amicissimum. Tamen ille instabat, ita ut etiam pro te sponderet. Tu videris an sponsionem viri ut mihi ita tibi quoque carissimi ratam facias. Ac facies spero, si cogitaveris totam rem nihil aliud nisi lusum esse. Nam quid aliud est Plautina emendare quam ludere, donec tua opera, in qua spes nostra posita est, certiorem arti criticae viam monstratam viderimus? Quamquam tum quoque multum arbitrio critici concedendum erit, quod etiam si codices haberemus aliquanto antiquiores nostris libris, tamen, ut ipse in epistola illa ostendisti, quam Mediolano anno CIↃIↃCCCXXXVII. ad me datam diurnis antiquariis Darmstadiensibus inserui, non tanta eorum fides esset, ut carere divinatione possemus, praesertim in canticis, quorum numeri multis in locis ita obscurati sunt, ut vix omnis eximi dubitatio possit. Quo in genere quam facile

sit errare, in ipsis Bacchidibus sum expertus, in quibus quum et olim et nuper etiam in Epitome doctrinae metricae §. 392. eam scenam, quae decima est actus quarti, alternatim versibus anapaesticis octonariis et septenariis scriptam putassem, nunc demum intellexi recte te eos versus omnes octonarios esse iudicavisse. Omnino autem ita ubique vel ordo verborum turbatus est, vel omissae temere adiectaeve voces quarum multus in familiari sermone usus est, vel interpretationes verbis poetae immixtae, cuius generis tu eximia sagacitate nuper exempla in Trinummo aperuisti, ut aut intacta relinquere, quae aperte aliter a Plauto scripta fuerint, aut ea sic, ut eum scripsisse veri simile sit, corrigere debeamus. Praeterea qui in his rebus non exercitati sunt, facile ferunt quae ferenda non esse diligentior observatio docet, veluti non *divos*, sed *deos*, non *nihil moror*, sed *nil moror* dici; *siet* vix aliter poni quam ut ictus in ultima syllaba sit; *dierecte*, *dierectus* ubique ab anapaesto incipere; *coxendicis* ab antiquis ut *coturnicis* pronuntiatum esse, quod praeter Bacchidum versum 1120. hic Lucilii apud Nonium versus monstrat:

collo caput
sustentatur, truncus sustinetur coxendicibus.

Non videtur enim de scriptura apud Nonium p. 94. dubitandum esse, quum ille eodem loco etiam ex Varronis de re rustica I. 20, 1. huius vocabuli exemplum afferat.

Quare nihil obstat, quod Isidorus Orig. XI. 1, 72. scribit: *truncus media pars corporis a collo usque ad inguina: de quo Nigidius: caput collo vehitur, truncus sustinetur coxis et genibus cruribusque.* Qui si Lucilii verba in mente habuit, videri potest Lucilius addidisse *genibus cruribusque.* Correptae vocalis testem memorant Serenum in carmine de medicina v. 702. 1000., apud quem etiam *lienis* media longa, ut et Valerius Probus p. 1444, 171. docet, et formae ratio, si nominativi *e* longa est, postulat, legitur v. 418. 429., quo loco quod ille Plautum dicere ait, dulcia grandi lieni minus apta esse, in iis quae nunc Plauti habemus non exstat. Sed quum *lien* duabus syllabis pronuntiandum sit in Curc. II. 1, 21. 29., nimis mirum foret, si *liene, lieni* ibidem v. 5. et 29. ac *lienosum* in Casina II. 6, 62. syllabis istis in unam contractis proferendum esset: ut nesciam an in communi sermone *lien* per omnes casus *e* vocalem brevem habuerit, maluerintque in obliquis casibus servare *e*, quam pro eo substituere *i*, quod postularet quidem ratio grammatica, aures autem ut insuave repudiarent.

Ego quidem id egi, ut verba poetae ita exhiberem, quemadmodum ab eo vel scripta esse vel potuisse scribi videbantur: quae si tibi et paucis illis, qui harum rerum aliquem sensum habent, non displicuerint, non quaeram quid illi sentiant, qui aut devoratas cum omni squallore

sacras membranas aut procusos ab sese confragosos numeros omnipotentemque *d* litteram sine cruditate concoquunt. Itaque nihil adnotationis adieci, nisi fere ut memorabiliora interpretum additamenta indicarem. Putabam enim caussas mutationum quas fecissem ab intelligentibus, si scripturas a te accuratissime ex veteribus libris excerptas considerarent, etiam si tacerem perspectum iri, qui eas autem non perspicerent, apud eos explicando demonstrandoque operam perdi. Unus tamen locus est, de quo ut paucis dicam verborum obscuritas postulat. Nam in his quae libri v. 247. sic scripta praebent,

atque ego lembum conspicor
longum est rigorem maleficum exornarier,

quod Muretus scribi volebat, *longum, strigonem, maleficum*, eo quidem modo quo ille putabat, ut *strigo*, qui Italis *stregone* diceretur, maleficum, hoc est magum et veneficum significaret, accipi non posse apertum est: poterit vero admitti, si gracilem significare putabimus, quod quidem nec negare neque affirmare velim. Pertinet ad hanc quaestionem, quod apud Festum p. 314, 27. ita expletum legitur: *Strigores in N*elei carmine pro st*rigosis positum* invenitur, id est densa*rum virium ho*minibus. strigo*res exerciti*. Ex quo Paulus: *Strigores densarum virium homines*. At homines quidem si tali quodam nomine dicti sunt, *strigones* dici debuerunt, non potuerunt autem *strigores*. Non putavi tamen tam dubia

auctoritate *strigonem* inferendum esse, sed posui *strigore maleficum*. Nam *strigor*, a stringendo dictus, ut alia et forma et significatione apud Lucretium III. 693. *gelidai stringor aquai*, quemadmodum *strigosus* dicitur qui gracilis est, gracilitatem et, ut ita dicam, strigositatem videtur significare. Ex isto strigore lembi cognoscebatur maleficum esse, quod talis forma celeritati navigii piratici conveniret.

Numeros Bentleii exemplo apicibus notavi, quo legentibus statim appareret quo metro quid scriptum esset et quo modo distingui membra metrorum deberent: sed ubi vel duas vocales in unum sonum coniungere vel syllabam vocali aut *m* littera terminatam sine elisione pronuntiare oporteret, nullo indicandum esse signo existimavi, quod qui veterum versus poetarum scenicorum recitare didicisset, ad has res non opus monitore haberet. Ceterum si tu, Friderice Ritscheli, quum Plauti fabulas edes, in hoc lusu meo inveneris quo te uti posse censeas, non poenitebit me quod nolui periturae parcere chartae. Vale, et memento Plautum quum meis tum aliorum multorum votis a te efflagitari enixissime.

PLAUTI

BACCHIDES.

PERSONAE.

BACCHIDES, meretrices.

PISTOCLERUS, adolescens, filius Philoxeni.

LYDUS, paedagogus Pistocleri.

CHRYSALUS, servus Nicobuli.

NICOBULUS, senex.

MNESILOCHUS, adolescens, filius Nicobuli.

PHILOXENUS, senex.

PARASITUS militis.

PUER militis, persona muta.

CLEOMACHUS, miles.

GREX.

Graeca Menandri Ἀπὸ ἑξαπατῶν.

BACCHIDES.

* * * *

BACCHIS II.

Sció spiritum éius maiórem esse múlto
Quam fólles tauríni halitánt.

BACCHIS I.

Quist? cuiátis?

BACCHIS II.

Praenéstinum opíno esse: ita erát gloriósus.

* * * *

BACCHIDES. PISTOCLERUS.

BACCHIS I.

Quíd si hoc potiust, út tu taceas, égo loquar?

BACCHIS II.

Lepidé: licet.

In fragmento codicis Halberstadiensis Prisciani, quod Fr. Ritschelius in Musei Rhenani a. 1841. fasc. II. p. 316. edidit, legitur: *Plautus. hic cuias. huius cuiatis. declinavit in bacchidib. Scio spiritum eius maiorem esse multo quam folles taurini habeant. praenestinum opinor esse ita erat gloriosus.* Eadem Ritschelius ibidem ex codice Vindobonensi n. 349. protulit, nisi quod in eo libro *multa* et *erit* scriptum est. Idem versus vidit bacchiacos esse, quorum tertius apud Nonium p. 474, 32. recte scriptus exstet, deesse autem in fragmentis illis id, quod testatum faceret Plautus. Itaque ipse *halant* scribi volebat, addique *cuiatis est is*. Loquuntur Bacchides de milite Cleomacho.

BACCHIS I.

Úbi me fugiet mémoria, ibi tu fácito, ut subveniás, soror.

BACCHIS II.

Pól magis metuo mi ín monendo orátio ne défuat.

BACCHIS I.

Pól lusciniolaé quoque metuo cántio ne défuat.
Séquere hac.

PISTOCLERUS.

Quid agunt duáe germanae méretrices cognómines?
Quíd in concilio cónsuluistis?

BACCHIS I.

Béne.

PISTOCLERUS.

Pol haud meretrícium est.

BACCHIS I.

Míserius nihil ést quam mulier.

PISTOCLERUS.

Quíd esse dicis dígnius?

BACCHIS I.

Haéc iam me orat, síbi qui caveat áliquem ut hominem réperiam
Ád istunc militem, út, ubi emeritum síbi sit, se ut revehát domum.
Íd, amabo te, huic cáveas.

PISTOCLERUS.

Quid isti cáveam?

BACCHIS I.

Ut revehatúr domum,
Út, ubi ei dederit óperas, ne hanc ille hábeat pro ancillá sibi.
Nám si haec habeat aúrum, quod illi rénumeret, faciát lubens.

PISTOCLERUS.

Úbi nunc is homo est?

BACCHIS I.

Iam híc credo aderit. séd hoc idem apud nos réctius
Póteris agere: atque íbi sedens dum is véniat opperíbere.
Eádem biberis; eádem dedero tíbi, ubi biberis, sávium.

PISTOCLERUS.

Víscus merus vostra ést blanditia.

BACCHIS I.

Quíd iam?

PISTOCLERUS.

Quia enim intéllego,
Dúae unum expetitís palumbem. párum arundo alas vérberat.
Nón ego mi istúc fácinus, mulier, cónducibile esse árbitror.

BACCHIS I.

Quí, amabo?

PISTOCLERUS.

Quia, Bácchis, Bacchas métuo et Bacchanál tuum.

BACCHIS I.

Quid est, quod metuis? né tibi lectus málitiam apud me suádeat?

PISTOCLERUS.

Mágis illectum tuúm quam lectum métuo. mala tu es béstia.
Nam huíc aetati nón conducit, múlier, latebrosús locus.

BACCHIS I.

Égomet, apud me sí quid stulte fácere cupias, próhibeam.
Séd ego apud me te ésse ob eam rem, míles quom veniát, volo:
Quía, quom tu aderis, huíc mihique haud fáciet quisquam iniúriam.
Tú prohibebis, ét eadem opera tuó sodali operám dabis.
Ét ille adveniens mé tuam esse amícam suspicábitur.
Quíd, amabo, obtieúisti?

PISTOCLERUS.

Quia istaec lépida sunt memorátui:
Éadem in usu, atque úbi periclum fácias, aculeáta sunt,
Ánimum fodicant, bóna distimulant, fácta et famam saúciant.

BACCHIS II.

Quíd ab hac metuis?

PISTOCLERUS.

Quíd ego metuam? rógitas? adulescéns homo
Pénetrare huiusmodi ín palaestram, ubi dámnis desudáscitur,
Úbi pro disco dámnum capíam, pró cursura dédecus?

BACCHIS II.

Lépide memoras.

PISTOCLERUS.

Úbi ego capiam pró machaera túrturem,
Úbique imponat ín manum alius míhi pro cestu cántharum:
Scáphium pro galeá, pro insigni sít corolla pléctilis,
Pro hásta talus: pró lorica málacum capiam pállium:
Úbi mi pro equo léctus detur, scórtum pro scuto áccubet.
Ápage a me, apage.

BACCHIS II.

Ah, nímium ferus es.

PISTOCLERUS.

Míhi sum.

BACCHIS II.

Malacissándus es.

BACCHIS I.

Équidem tibi do hanc óperam.

PISTOCLERUS.

At nimium prétiosa es operária.

BACCHIS I.

Símulato me amáre.

PISTOCLERUS.

Utrum ego, iocón' assimulem an sério?

BACCHIS I.

Héia, hoc agere mélius: miles quom húc adveniat, té volo
Me ámplexari.

PISTOCLERUS.

Quid eo mi opus est?

BACCHIS I.

Út ille te videát volo.
Scío ego quid ago.

PISTOCLERUS.

Et pól ego scio quid métuo. sed quid aís?

BACCHIS I.

Quid est?

PISTOCLERUS.

Sí apud te evenát desubito prándium, aut potátio
Fórte, aut coena, ut sólet in istis fieri conciliábulis,
Úbi ego tum accubem?

BACCHIS I.

Ápud me, mi anime: ut lépidus cum lepida áccubet.
Lócus hic apud nos, quámvis subito vénias, semper líber est.
Úbi voles tibi ésse lepide, méa rosa, mihi dícito:

Béne qui sit dato: égo, ubi bene sit, tíbi locum lepidúm dabo.

PISTOCLERUS.

Rápidus fluvius ést hic, non hac témere transirí potest.

BACCHIS I.

Átque ecastor ápud hunc fluvium áliquid perdundúmst tibi.
Mánum da, et sequere.

PISTOCLERUS.

Ah mínime!

BACCHIS I.

Quid ita?

PISTOCLERUS.

Quía istoc illecebrósius
Fíeri nil potést, nox, mulier, vínum, homini adulescéntulo.

BACCHIS I.

Áge igitur. equidém pol nihili fácio: nisi caussá tua.
Ílle quidem hanc abdúcet. nullus tu áffueris, si nón lubet.

PISTOCLERUS.

Súmne autem nihilí, qui nequeam ingénio moderarí meo?

BACCHIS I.

Quíd est quod metuas?

PISTOCLERUS.

Níhil est: nugae. múlier, tibi me emáncupo:
Túus sum, tibi dedo óperam.

BACCHIS I.

Lepidu's. núnc te facere ego hóc volo.
Égo sorori meae hódie coenam dáre volo viáticam:
Eó tibi argentúm iubebo iam íntus ecferri foras;
Tu ópsonatum fácito nobis sít opulentum opsónium.

PISTOCLERUS.

Égo opsonabo. nam íd flagitium sít meum, mea te grátia
Ét operam dare mi ét ad eam operam fácere sumptum dé tuo.

BACCHIS I.

Át ego nolo dáre te quidquam.

PISTOCLERUS.

Síne.

BACCHIS I.

Sino equidem, sí lubet.
Própera, amabo.

PISTOCLERUS.

Príus hic adero, quám te amare désinam.

BACCHIS II.

Béne me accepisti ádvenientem, méa soror.

69. Amplectitur mulierem. Ea est amatio. Rud. IV. 5, 14. *Uxor complexa collo retinet filiam: nimis paene inepta atque odiosa eius amatio est.*

BACCHIS I.

Quid ita, óbsecro?

BACCHIS II.

Quía piscatus, meó quidem animo, hic tíbi hodie evenít bonus.

BACCHIS I.

Méus quidem ille est. tíbi nunc operam dábo de Mnesilochó, soror,
Út hic accipias pótius aurum, quam hínc eas cum mílite.

BACCHIS II.

Cúpio.

BACCHIS I.

Dabitur ópera. calet aqua: íntro eamus, út laves.
Nám ut in navi vécta es, credo, tímida es.

BACCHIS II.

Aliquantúm, soror.
Símul hic nunc nescío qui turbat, qui húc it. quin decédimus.

BACCHIS I.

Séquere hac igitur me íntro lotum, út sédes lassitudinem.

77. G. A. Becker Antiq. Plaut. part. I. p. 8.

LYDUS. PISTOCLERUS.

LYDUS.

Iamdúdum, Pistoclére, tacitus té sequor,
Inspéctans, quas tu rés hoc ornatú géras.
Namque íta me di ament, út Lycurgus míhi quidem
Vidétur posse hic ád nequitiam addúcier.
Quo núnc capessis tú te hinc advorsá via
Cum tánta pompa?

PISTOCLERUS.

Huc.

LYDUS.

Húc? quid huc? quis istíc habet?

PISTOCLERUS.

Amór, Voluptas, Vénus, Venustas, Gaúdium.
Iocus, Lúdus, Sermo, Suávisaviátio.

LYDUS.

Quid tíbi commerci est cúm dis damnosíssumis?

PISTOCLERUS.

Malí sunt homines, quí bonis dicúnt male.
Tu dís nec recte dícis: non aequóm facis.

LYDUS.

An déus est ullus Suavisaviatio?

PISTOCLERUS.

An nón putasti? est inquam. o Lyde, es bárbarus,
Quem sápere nimio cénsui plus quám Thalem.

78. Explicavit hanc scenam Schneidewinus in Museo Rhenano a. 1843. fasc. III. p. 416. seqq.

I, stúltior tu es bárbaro Potítio,
Qui tántus natu deórum nescis nómina.

LYDUS.

Non híc placet mi ornátus.

PISTOCLERUS.

Nemo ergó tibi
Hoc ápparavit: míhi paratum est, quoí placet.

LYDUS.

Etiám me advorsus éxordire argútias?
Qui sí decem habeas línguas, mutum esse áddecet.

PISTOCLERUS.

Non ómnis aetas, Lýde, ludo cónvenit.
Magis únum in mente est míhi nunc, satis ut cómmode
Pro dígnitate opsóni haec concurét cocus.

LYDUS.

Iam pérdidisti te átque me atque operám meam,
Qui tibi nequiquam saépe monstraví bene.

PISTOCLERUS.

Ibidem égo meam operam pérdidi, ubi tú tuam:
Tua dísciplina néc mihi prodest, néque tibi.

LYDUS.

O praéligatum péctus,

PISTOCLERUS.

Odiosús mihi es.
Tace, átque sequere, Lýde, me.

LYDUS.

Illuc sis vide,
Non paédagogum iám me, sed Lydúm vocat.

PISTOCLERUS.

Non pár videtur, néque sit consentáneum,
Quom haece íntus assint ét erus cum amica áccubet,
Quomque ósculetur, ét convivae alii áccubent,
Praesénte una illis paédagogus út siet.

LYDUS.

An hóc ad eas res ést opsonatum, óbsecro?

PISTOCLERUS.

Sperát quidem animus: quo évenat, dis in manu est.

LYDUS.

Tu amícam habebis?

PISTOCLERUS.

Quóm videbis, túm scies.

LYDUS.

Immó neque habebis, néc sinam. iturú's domum?

PISTOCLERUS.

Omítte, Lyde, ac cáve malo.

LYDUS.

Quid? cáve malo?

PISTOCLERUS.

Iam excéssit mi aetas éx magisterió tuo.

LYDUS.

O bárathrum, ubi es nunc? út ego te usurpém lubens.

Iam vídeo nimio múlto plus quam vólueram.
Vixísse nimio sátiust iam quam vívere.
Magístrom' quemquam discípulum minitárier?
Nil míhi moror discípulos plenos sánguinis:
Valéns afflictat mé vacivom vírium.

PISTOCLERUS.

Fiam, út ego opinor, Hércules, tu autém Linus.

LYDUS.

Pol métuo magis, ne Phoénix tuis factís fuam,
Teque ád patrem esse mórtuum renúntiem.

PISTOCLERUS.

Satis hístoriarum est.

LYDUS.

Híc vereri pérdidit.
Compéndium edepol haúd aetati optábile
Fecísti, quom istanc náctu's ímpudéntiam.
Occísus hic homo est. écquid in mentem ést tibi
Patrém tibi esse?

PISTOCLERUS.

Tibi ego, an tu mihi sérvos es?

LYDUS.

Peiór magister te ístaec docuit, nón ego.
Nimio és tu ad istas rés discipulus dócilior
Quam ad ílla quae te dócui, ubi operam pérdidi.

PISTOCLERUS.

Istáctenus tibi, Lýde, libertás data est
Orátionis: sátis est. sequere me, ác tace.

LYDUS.

Edepól fecisti fúrtum in aetatém malum,
Quom istaéc flagítia mé celavisti ét patrem.

CHRYSALUS.

CHRYSALUS.

Herílis patria, sálve, quam biénnio,
Postquam híno in Ephesum ego ábii, conspició lubens.
Salúto te, vicíne Apollo, qui aédibus
Propínquus nostris áccolis, veneróque te,
Ne Nicobulum mé sinas nóstrum senem
Prius cónvenire quám sodalem víderim
Mnesílochi Pistoclérum, quem ad epístolam
Mnesílochus misit súper amica Bácchide.

PISTOCLERUS. CHRYSALUS.

PISTOCLERUS.

Mirúmst, me, ut redeam, te ópere tanto quaésere,
Qui abíre hinc nullo pácto possim, sí velim:
Ita mé vadatum amóre vinctumque áttines.

CHRYSALUS.

Pro di ímmortales, Pistoclerum cónspicor.
O Pistoclere, sálve.

PISTOCLERUS.

Salve, Chrysale.

CHRYSALUS.

Compéndi verba múlta iam faciám tibi.

Venire tu me gaúdes: ego credó tibi.
Hospítium et coenam póllicere, ut cónvenit
Peregre ádvenienti: ego aútem venturum ánnuo.
Salútem tibi sodális solidam núntio.
Rogábis me, ubi sit?

PISTOCLERUS.

Vívitne et recté valet?

CHRYSALUS.

Istúc volebam ego éx te percontárier.

PISTOCLERUS.

Qui scíre possum?

CHRYSALUS.

Núllus plus.

PISTOCLERUS.

Quemnam ád modum?

CHRYSALUS.

Quia siílla inventast, quam ílle amat, vivít, valet.
Anima ést amica amánti. si abest, núllus est:
Si adést, res nullast. ípsus est, nequam ét miser.
Sed tú quid factitásti mandatís super?

PISTOCLERUS.

Egon' út, quod ab illo me áttigisset núntius,
Non ímpetratum id ádvenienti ei rédderem?
Regiónes colere mávellem Acherúnticas.

160. Post hunc versum in libris est: *si non inventa est, minus valet moribundusque est.*

CHRYSALUS.

Eho,
An ínvenisti Bácchidem?

PISTOCLERUS.

Samiám quidem.

CHRYSALUS.

Vide quaéso, ne quis tráctet illam indíligens.
Scis tu, út confringi vás cito Samiúm solet.

PISTOCLERUS.

Iamne, út soles?

CHRYSALUS.

Dic úbi ea nunc est, óbsecro.

PISTOCLERUS.

Hic, éxeuntem me únde aspexistí modo.

CHRYSALUS.

Ut istúc est lepidum: próxume vicíniae
Habitát. ecquidnam méminit Mnesilochí?

PISTOCLERUS.

Rogas?
Immo únice unum plúrimi pendít.

CHRYSALUS.

Papae.

PISTOCLERUS.

Immo út eam credis? mísere amans desíderat.

CHRYSALUS.

Scitum ístuc.

PISTOCLERUS.

Immo, Chrýsale, hem non tántulum
Umquam íntermittit témpus, quin eum nóminet.

CHRYSALUS.

Tanto hércle melior.

PISTOCLERUS.

Ímmo

CHRYSALUS.

Immo hercle ego ábiero
Potiús.

PISTOCLERUS.

Num invítus rém bene gestam audís eri?

CHRYSALUS.

Non érus, sed actor míhi cor odio saúciat.
Etiam Épidicum, quam ego fábulam aeque ac me ípsum amo,
Nullam aéque invitus spécto, si agit Póllio.
Sed Bácchis etiam fórtis tibi visást?

PISTOCLERUS.

Rogas?
Ni nánctus Venerem essem, hánc Iunonem dícerem.

CHRYSALUS.

Edepól, Mnesiloche, ut hánc rem natam intéllego,
Quod amés, paratumst: quód des, invento ést opus.
Nam istíc fortasse auro ópus est.

PISTOCLERUS.

Philippeó quidem.

CHRYSALUS.

Atque eó fortasse iám opus.

PISTOCLERUS.

Immo etiám prius.
Nam iam húc adveniet míles,

CHRYSALUS.

Et milés quidem.

PISTOCLERUS.

Qui de ámittenda Bácchide aurum hic éxigit.

CHRYSALUS.

Advéniat quando vólt, atque ita, ne sít morae.
Domi ést: non metuo, néque ego quoiquam súpplico,
Dum quídem valebit péctus perfidiá meum.
Abi íntro, ego hic curábo. tu intus dícito
Mnesílochum adesse Bácchidi.

PISTOCLERUS.

Faciam, út iubes.

CHRYSALUS.

Negótium hoc ad me áttinet. aurárium,
Mille ét ducentos Phílippum attulimus aúreos
Ephesó, quos hospes débuit nostró seni.
Inde égo hodie aliquam máchinabor máchinam,
Unde aúrum efficiam amánti erili fílio.
Sed fóris concrepuit nóstra; quinam exít foras?

NICOBULUS. CHRYSALUS.

NICOBULUS.

Ibo in Piraeum, vísam, ecquaenam advénerit
In pórtum ex Epheso návis mercatória.
Nam méus formidat ánimus, nostrum tám diu
Ibi désidere néque redire fílium.

CHRYSALUS.

Extéxam ego illum púlchre iam, si dí volunt.
Haud dórmitandumst. ópus est chryso Chrýsalo.
Adíbo hunc, quem quidem hódie faciam hic árietem
Phrixi, ítaque tondebo aúro usque ad vivám cutem.
Servós salutat Nícobulum Chrýsalus.

NICOBULUS.

Pro di ímmortales, Chrýsale, ubi mi est fílius?

CHRYSALUS.

Quin tú salutem prímum reddis, quám dedi?

NICOBULUS.

Salvé. sed ubinam est Mnésilochus?

CHRYSALUS.

Vivít, valet.

NICOBULUS.

Venítne?

CHRYSALUS.

Venit.

NICOBULUS.

Eúax, aspersísti aquam.
Benene úsque valuit?

CHRYSALUS.

Páncratice atque athlétice.

NICOBULUS.

Quid hóc? qua caussa eum hínc in Ephesum míseram,
Accépitne aurum ab hóspite Archidémide?

CHRYSALUS.

Heu cór mi et cerebrum, Nícobule, fínditur,
Istíus hominis úbi fit quaque méntio.
Tun' hóspitem illum nóminas hostém tuum?

NICOBULUS.

Quid ita, óbsecro, hercle?

CHRYSALUS.

Quía edepol certó scio,
Volcánus, Luna, Sól, Dies, di quáttuor,
Sceléstiorem núllum illuxere álterum.

NICOBULUS.

Quamne Archidemidem? hém.

CHRYSALUS.

Quam, inquam, Archidémidem.

NICOBULUS.

Quid fécit?

CHRYSALUS.

Quid non fécit? quin tu id mé rogas?
Primúmdum infitias íre coepit fílio:
Negáre se debére tibi trióbulum.
Contínuo ibi antiquom hóspitem nostrúm sibi
Mnesílochus advocávit, Pelagoném senem:

Eo praésente homini extémplo ostendit sýmbolum,
Quem túte dederas ád eum ut ferret fílio.

NICOBULUS.

Quid, úbi ei ostendit sýmbolum?

CHRYSALUS.

Infit dícere,
Adúlterinum, et nón eum esse sýmbolum:
Quotque ínnocenti ei díxit contumélias.
Adúlterare etiam aíbat rebus céteris.

NICOBULUS.

Habétin' aurum? id prímum mihi dicí volo.

CHRYSALUS.

Postquám quidem praetor récuperatorés dedit,
Damnátus demum, ví coactus réddidit
Ducéntos mille Philippum.

NICOBULUS.

Tantum débuit.

CHRYSALUS.

Porro étiam ausculta púgnam, quam voluít dare.

NICOBULUS.

Etiám quid porro? hem, áccipitrina haec núnc erit.
Decéptus sum. Autolyco hóspiti aurum crédidi.

CHRYSALUS.

Quin tu aúdi.

242. Pers. III. 3, 5. *pecuniarum accipiter.*

NICOBULUS.

Immo avidi ingénium haud pernoram hóspitis.

CHRYSALUS.

Postquam aúrum abstulimus, átque in navem escéndimus,
Domúm cupientes. fórte ut assedi ín stega,
Dum circumspecto ibi, átque ego lembum cónspicor
Longúm, strigore máleficum, exornárier.

NICOBULUS.

Perii hércle. lembus ílle mihi laedít latus.

CHRYSALUS.

Is erát communis cum hóspite et praedónibus.

NICOBULUS.

Adeón' me fuisse fúngum, út qui illi créderem.
Quom mi ípsum nomen éius Archidémidis
Clamáret, dempturum ésse, si quid créderem.

CHRYSALUS.

Is nóstrae navi lémbus insidiás dabat.
Occépi ego observáre eos, quamnam rém gerant.
Intérea e portu nóstra navis sólvitur.
Ubi pórtu eximus, hómines remigió sequi,
Neque avés, neque venti cítius. quoniam séntio
Quae rés gereretur, návem extemplo státuimus.
Quoniám vident nos stáre, occeperúnt ratem
Turbáre in portu.

NICOBULUS.

Hem, édepol mortalés malos.
Quid dénique agitis?

CHRYSALUS.

Rúrsum in pórtum récipimus.

NICOBULUS.

Sapiénter factum a vóbis. quid illi póstea?

CHRYSALUS.

Revórsionem ad térram faciunt vésperi.

NICOBULUS.

Aurum hércle auferre vóluere: ei rei operám dabant.

CHRYSALUS.

Non mé fefellit, sénsi: eo exanimús fui.
Quoniám videmus aúro ínsidias fieri,
Consílium capimus cóntinuo hoc: postrídie
Auférimus aurum omne, íllis ibi praeséntibus,
Palam átque aperte, utílli id factum scíscerent.

NICOBULUS.

Scite hércle. cedo, quid ílli?

CHRYSALUS.

Tristes íllico,
Quoniam éxtemplo a portu íre nos cum auró vident,
Subdúcunt lembum cápitibus quassántibus.
Nos ád Theotimum omne aúrum deposívimus,
Illíc sacerdos quí Dianae est Éphesiae.

NICOBULUS.

Quis istíc Theotimust?

CHRYSALUS.

Mégalobyzi fílius,
Qui núnc in Epheso est Éphesiis caríssumus.

276. Menander: οὐ *Μεγάβυζος ἦν, ὅστις ζάκορος;*

NICOBULUS.

Nae ille hércle mihi sit múlto tanto cárior,
Si is íllo me auro tánto circumdúxerit.

CHRYSALUS.

Quin ípsa in aede deaé Dianae cónditum est:
Ibidém publicitus sérvant.

NICOBULUS.

Occidístis me.
Nimio hic privatim sérvaretur réctius.
Sed nílne huc attulístis inde aurí domum?

CHRYSALUS.

Immo étiam. verum quántum attulerit néscio.

NICOBULUS.

Quid? néscis?

CHRYSALUS.

Quia Mnesilochus noctu clánculum
Devénit ad Theotímum: nec mihi crédere,
Nec quoíquam in navi vóluit. eo ego néscio,
Quantum ille attulerit: vérum haud permultum áttulit.

NICOBULUS.

Etiám dimidium cénses?

CHRYSALUS.

Non edepól scio.
Verum haúd opinor.

NICOBULUS.

Fértne partem tértiam?

CHRYSALUS.

Non hércle opinor. vérum verum néscio.
Profécto de auro níl scio, nisi néscio.
Nunc tibimet illuc návi capiundúmst iter,
Ut illúd reportes aúrum ab Theotimó domum.
Atque heús tu.

NICOBULUS.

Quid vis?

CHRYSALUS.

Ánulum gnati tui
Facito út memineris férre.

NICOBULUS.

Quid opust ánulo?

CHRYSALUS.

Quia id signum est cum Theotímo, qui eum illi áfferet,
Ei aúrum ut reddat.

NICOBULUS.

Méminero, et recté mones.
Sed dívesne iste est Théotimus?

CHRYSALUS.

Etiám rogas?
Qui auró sibi habeat sóccis suppactúm solum.

NICOBULUS.

Cur íta fastidit?

CHRYSALUS.

Tántas divitiás habet:
Nescít quid faciat aúro.

NICOBULUS.

Mihi duít velim.
Sed quí praesente id aúrum Theotimó datumst?

CHRYSALUS.

Populó praesente: núllust Ephesi, quín sciat.

NICOBULUS.

Istúc sapìenter sáltem fecit fílius,
Quom díviti homini id aúrum servandúm dedit:
Ab eó licebit quámvis subito súmere.

CHRYSALUS.

Immo hém tantisper númquam te morábitur,
Quin hábeas illud quó die illuc véneris.

NICOBULUS.

Censébam me effugísse a vita márituma,
Ne návigarem tándem hoc aetatís senex,
Id utrúm velim iam mi haúd licere intéllego;
Ita béllus hospes fécit Archidémides.
Ubi núnc est ergo méus Mnesilochus fílius?

CHRYSALUS.

Deos átque amicos ít salutatum ád forum.

NICOBULUS.

At ego hínc ad illum, ut cónvenam, quantúm potest.

CHRYSALUS.

Ille ést oneratus récte, et plus iustó vehit.
Exórsa haec tela nón male omninó mihi est,
Ut amántem erilem cópem facerem fílium.
Ita féci, ut auri quántum vellet, súmeret.
Quantum aútem libeat réddere, ut reddát patri.

Senéx in Ephesum hinc íbit aurum arcéssere:
Hic nóstra agetur aétas in malacúm modum;
Si quídem relinquet, néc secum abducét senex
Hinc me ét Mnesilochum. quás ego hic turbás dabo.
Sed quíd futurum est, quom hóc senex rescíverit?
Quom se éxcucurrisse íllue frustra scíverit,
Nosque aúrum abusos? quíd mihi fiet póstea?
Credo hércle adveniens nómen mutabít mihi
Faciétque extemplo Crúcisalum me ex Chrýsalo.
Aufúgero hercle, sí magis usus vénerit.
Si eró reprehensus, mácto illum infortúnio:
Si illí sunt virgae rúri, at mihi tergúm domi est.
Nunc íbo, erili fílio hanc fabricám dabo,
Super aúro amicaque eíus inventa Bácchide.

LYDUS.

LYDUS.

Pándite, atque aperíte propere iánuam hanc Orci, óbsecro:
Nam équidem haud aliter ésse duco. quíppe quo nemo ádvenit,
Nísi quem spes relíquere omnes, ésse ut frugi póssiet.
Bácchides non Bácchides, sed Bácchae sunt acérrumae.
Ápage istas a mé sorores, quae hóminum sorbent sánguinem.
Ómnis ad perníciem instructa dómus opime atque ópipare.

Quaé ut aspexi, mé continuo cóntuli protinam in pedes.
Égone ut haec conclúsa gestem clánculum? ut celém patrem,
Pístoclere, túa flagitia aut dámna aut desidiábula?
Quíbus patrem et me téque amicosque ómnis affectás tuos
Ád probrum, damnúm, flagitium appéllere una et pérdere.
Néque mei, neque té tui intus púditumst factis quaé facis:
Quíbus tuum patrém, meque una, amícos, affínis tuos,
Túa infamiá fecisti gérulifigulos flágiti.
Núnc priusquam malum ístoc addis, cértumst iam dícám patri.
Dé me hanc culpam démolibor iam, ét seni faciám palam,
Út eum isto ex lutulénto coeno própere hinc eliciát foras.

MNESILOCHUS.

MNESILOCHUS.

Múltimodis meditátus egomet mécum sum, et ita esse árbitror:
Hómini amico, qui ést amicus íta uti nomen póssidet,
Nísi deos, ei níl praestare. id ópera expertus sum ésse ita.

Nám ut in Ephesum hinc ábii (hoc factumst férme abhinc biénnium),
Éx Epheso huc ad Pístoclerum meúm sodalem líteras
Mísi, amicam ut mi ínveniret Bácchidem. illum intéllego
Ínvenisse, ut sérvos mihi meus núntiavit Chrýsalus,
Cóndigne is quam téchnam de auro advórsum meum fecít patrem,
Út mi amanti cópia esset. aéquom video id réddere.
Nám pol, meo quidem ánimo, ingrato hómine nihil impénsiust,
Málefactorem amítti satiust quám relinqui béneficum.
Nímio impendiósum praestat quám te ingratum dícier.
Íllum laudabúnt boni; hoc etiam ípsi culpabúnt mali.
Quá me caussa mágis curare est aéquom: obvigilatóst opus.
Núnc, Mnesiloche, spécimen specitur, núnc certamen cérnitur:
Sísne nec ne, ut ésse oportet; málus, bonus, qua, quoiusmodi;
Iústus, iniustús; malignus, lárgus; tristis, cómmodus.
Cáve sis te superáre servom síris faciundó bene.
Útut eris, moneo, haúd celabis. séd eccos video incédere
Pátrem sodalis ét magistrum. hinc aúscultabo, quám rem agant.

LYDUS. PHILOXENUS. MNESILOCHUS.

LYDUS.

Núnc experiar, sítne aceto tibi cor acre in péctore.
Séquere.

PHILOXENUS.

Quo sequár? quo ducis núnc me?

LYDUS.

Ad illam, quaé tuum
Pérdidit, pessúmdedit tibi fílium unice únicum.

PHILOXENUS.

Éia, Lyde: léniter qui saéviunt, sapiúnt magis.
Mínus mirandum est, íllaec aetas sí quid illorúm facit,
Quám si non faciát. feci ego istaec ítidem in adulescéntia.

LYDUS.

Heí mihi, hei mihi, ístaec illum pérdidit assentátio.
Nam ábsque te esset, égo illum haberem réctum ad ingeniúm bonum:
Núnc propter te tuámque pravos fáctus est fidúciam Pístoclerus.

MNESILOCHUS.

Di ímmortales, meúm sodalem hic nóminat.
Quíd hoc negoti est, Pístoclerum Lýdus quod erum tám ciet?

373. Pseud. II. 4, 49. *ecquid habet homo iste aceti in pectore?*

PHILOXENUS.

Lýde, paulispér libido est hómini suo animo óbsequi:
Iam áderit tempus, quóm sese etiam ipse óderit. morém geras:
Dúm caveatur, praéter aequom né quid delinquát, sine.

LYDUS.

Nón sino, neque équidem me vivo íllum corrumpí sinam.
Séd tu, qui tam pró corrupto dícis caussam fílio,
Éademne erat haec dísciplina tíbi, quom tu adulescéns eras?
Négo ego tibi hoc annís viginti fuísse primis cópiae,
Dígitum longe a paédagogo pédem ut ecferres aédibus.
Íd quoi obtigerat, hóc etiam ad malum árcessebatúr malum:
Ét discipulus ét magister pérhibebantur ímprobi.
Ánte solem exórientem nisi ín palaestram véneras,
Gýmnasi praefécto poenas haúd mediocris pénderes.
Íbi curso, luctándo, disco, hásta, pugilatú, pila,
Sáliendo sese éxercebant mágis quam scorto aut sáviis:
Íbi suam aetatem éxtendebant, nón in latebrosís locis.
Índe de hippodromo ét palaestra úbi revenissés domum,
Cíncticulo praecínctus in sella ápud magistrum assíderes:

Sí, librum quom légeres, unam péccavisses syllabam,
Fieret corium tám maculosum, quam ést nutricis pállium.

MNESILOCHUS.

Própter me nunc meó sodali haec dici discrucióor miser.
Innocens suspícionem hanc sústinet caussá mea.

PHILOXENUS.

Álii, Lyde, núnc sunt mores.

LYDUS.

Íd equidem ego certó scio.
Nam ólim populi príus honorem cápiebat suffrágio
Quám magistro désinebat ésse dicto obédiens.
At nunc, priusquam séptuennist, si tu eum attingás manu,
Púer extemplo paédagogo tábula dirrumpít caput.
Quóm patrem adeas póstulatum, púero sic dicít pater:
Nóster esto, dúm te poteris défensare iniúria.
Próvocatur paédagogus: ého senex minumí preti,
Ne áttigas puerum ístac caussa, quándo fecit strénue.
Ít magister quási lucerna úncto exspreta línteo.
Ítur illinc iúre dicto. hóccine hic pactó potest
Ínhibere imperiúm magister, si ipsus primus vápulet?

MNESILOCHUS.

Ácris postulátio haec est. quom húius dicta intéllego,
Mira sunt, ni Pístoclefus Lýdum pugnis cóntudit.

414. Ut lucerna, quae rimosa linteum maculans ab usu remota est. Paulus Diaconus ex Festo p. 79. *expreta antiqui dicebant quae expertia habita.*

LYDUS.

Séd quis hic est, quem astántem video ante óstium? o Philóxene,
Deós propitios mé videre quam íllum haud mavellém mihi.

PHILOXENUS.

Quís illic est homó?

LYDUS.

Sodalis Mnésilochus gnatí tui.
Haúd consimili ingénio atque ille est, qui ín lupanari áccubat.
Fórtunatum Nícobulum, qui íllum produxít sibi.

PHILOXENUS.

Sálvos sis, Mnesíloche: salvom te ádvenire gaúdeo.

MNESILOCHUS.

Dí te ament, Philóxene.

LYDUS.

Hic enim ríte productúst patri:
Ín mare it, rem fámiliarem cúrat, custodít domum:
Óbsequens obédiensque est móri atque imperiís patris.
Hic sodalis Pístoclero iám puer pueró fuit.
Tríduum non ínterest aetátis ut maiór siet:
Vérum ingenium plús triginta est ánnis maius quam álteri.

PHILOXENUS.

Cáve malum, et compésce in illum dícere iniusté.

LYDUS.

Tace:
Stúltus es, qui illí male aegre pátere dici, qui facit.
Nam íllum meum malúm promptare málim quam pecúlium.

PHILOXENUS.

Quídum?

LYDUS.

Quia, malúm si promptet, ín dies faciát minus.

MNESILOCHUS.

Quíd sodalem meúm castigas, Lýde, discípulúm tuum?

LYDUS.

Périit tibi sodális.

MNESILOCHUS.

Ne di sírint.

LYDUS.

Sic est, út loquor.
Quín ego, quom períbat, vidi, nón ex audito árguo.

MNESILOCHUS.

Quíd factumst?

LYDUS.

Meretrícem indigne déperit.

MNESILOCHUS.

Non tú taces?

LYDUS.

Átque quae acerrume, aéstuose absórbet, ubi quemque áttigit.

MNESILOCHUS.

Ubi ea mulier hábitat?

LYDUS.

Hic.

MNESILOCHUS.

Unde ésse eam aiunt?

LYDUS.

Éx Samo.

MNESILOCHUS.

Quaé vocatur?

LYDUS.

Bácchis.

MNESILOCHUS.

Erras, Lýde: ego omnem rém scio,
Quémadmodum est. tu Pístoclerum fálso atque insontem árguis.
Nám ille amico et bénevolenti suó sodali sédulo
Rém mandatam exséquitur. ipsus néc amat: nec tu créduas.

LYDUS.

Ítane oportet rém mandatam gérere amicí sédulo,
Ípse ut in gremio ósculantem múlierem teneát sedens?
Núllon' pacto rés mandata pótest agi, nisi itém manus
Ád papillas adferát, labra á labris nusquam aúferat?
Nam ália me memoráre, quae illum fácere vidi, díspudet:
Quóm manum sub véstimenta ad córpus tetulit Bácchidi

Mé praesente, néque pudere quídquam. quíd verbis opust?
Míhi discipulus, tíbi sodalis périit, huice fílius.
Nám ego illum perísse duco, quoí quidem periít pudor.
Quíd opust verbis? si ópperiri véllem paullispér modo,
Út opinor, si illum ínspectandi mi ésset maior cópia,
Plús vidissem quám deceret, quám me atque illo aequóm foret.

MNESILOCHUS.

Pérdidisti mé, sodalis. égone ut illam múlierem
Cápitis non perdám? perire mé malis malím modis.
Sátin' ut quem fidélem tu habeas, aút quoi credas, néscias?

LYDUS.

Víden', ut aegre pátitur esse gnátum corruptúm tuum,
Suúm sodalem, ut ípsus sése crúciat aegritúdine.

PHILOXENUS.

Mnésiloche, hoc tecum óro, illius ánimum atque ingenium út regas.
Sérva tibi sodálem, et mi autem fílium.

MNESILOCHUS.

Factúm volo.

PHILOXENUS.

In te ergo onus hoc ómne impono. Lýde, sequere hac mé.

LYDUS.

Sequor.

Mélius esset, mé quoque una cum íllo si relínqueres.

PHILOXENUS.

Áffatim est.

LYDUS.

Mnesíloche, cura et cóncastiga homínem probe,
Qui dedecorat té, me, amicosque álios flagitiís suis.

MNESILOCHUS.

MNESILOCHUS.

Inimíciorem núnc utrum credám magis,
Sodálemne esse, an Bácchidem, incertum ádmodumst.
Illum éxoptavit pótius? habeat. óptumest:
Nae illa íllud hercle cúm malo fecít suo.
Nam míhi divini númquam quisquam créduat,
Ni ego íllam exemplis plúrimis planéque amo.
Ego fáxo haud dicet náctam, quem derídeat.
Nam iám domum ibo, atque áliquid surrupiám patri.
Adeo égo illam cogam usque, út meus mendicét pater.
Sed sátin' ego animum ménte sincerá gero?
Qui ad húnc modum haec hic, quaé futura, fábulor?
Amo hércle, opinor, út quod pro certó sciam.

471. Glossator: *meo,* non videns acerbe dictum esse *amo* v. 473.
473. Interpres: *ego istanc multis ulciscar modis.*
475. Interpres: *id isti dabo.*

Sed aútem quam illa dé meis opuléntiis
Raménta fiat plúmea propénsior,
Mendícum malim méndicando víncere.
Numquam édepol vivom me írridebit. nám mihi
Decrétumst renumeráre iam omne aurúm patri.
Igitúr mi inani atque inopi subblandibitur:
Tum, quóm nihilo plus ád meam rem réfferet
Quam si ád sepulcrum mórtuo dixit logos.
Profécto stabile est mé patri aurum réddere.
Eadem éxorabo, Chrysalo caussá mea
Patér ne noceat: neú quid ei succénseat
Mea caússa de auro, quód eum ludificátus est.
Nam illi aéquom est me consúlere, qui caussá mea
Mendácium illud díxit. vos me séquimini.

PISTOCLERUS.

PISTOCLERUS.

Rébus aliis ántevortar, Bácchis, quae mandás mihi:
Mnésilochum ut requíram, atque ut eum mécum ad te adducám simul.
Nam illud animus méus miratur, si á me tetigit núntius,
Quid remoratur. ibo, et visam hac ád eum, si forte ést domi.

480. Interpres: *verum quam illa unquam de mea pecunia ramenta fiat gravior aut propensior, mori me malim excruciatum inopia.*

483. 486. 487. Vid. Ritschelii Parergon Plaut. vol. I. p. 421.

MNESILOCHUS. PISTOCLERUS.

MNESILOCHUS.

Aúrum reddidí patri omne. núnc ego illam mé velim
Cónvenire, póstquam inanis súm, contemptricém meam.
Séd ille veniam quám gravate míhi dedit de Chrýsalo.
Vérum postremo ímpetravi, ut né quid ei succénseat.

PISTOCLERUS.

Éstne hic meus sodális?

MNESILOCHUS.

Estne hic hóstis, quem aspició, meus?

PISTOCLERUS.

Cérte is est.

MNESILOCHUS.

Is ést.

PISTOCLERUS.

Adibo cóntra, et contollám gradum.
Sálvos sis, Mnesíloche.

MNESILOCHUS.

Salve.

PISTOCLERUS.

Sálvos peregre quom ádvenis,
Coéna detur.

MNESILOCHUS.

Nón placet mihi coéna, quae bilém movet.

PISTOCLERUS.

Núm quae advenienti aégritudo obiécta est?

MNESILOCHUS.

Atque ácérruma.

PISTOCLERUS.

Únde?

MNESILOCHUS.

Ab homine, quém mi amicum esse árbitratus sum ántidhac.

PISTOCLÉRUS.

Múlti more isto átque exemplo vívont, quos quom cénseas
Esse amicos, réperiuntur fálsi falsimóniis,
Língua factiósi, inertes ópera, sublestá fide.
Núllus est, quoi nón invideant rém secundam obtíngere.
Síbi illi ne invideátur, ipsi ignávia recté cavent.

MNESILOCHUS.

Édepol nae tu illórum mores pérquam meditaté tenes.
Séd etiam unum hoc éx ingenio málum malo inveniúnt suo:
Núlli amici súnt, inimicos ípsi in sese omnís habent.
Átque hi se quom frústrant, frustrari álios stolidi exístumant.
Sícut est hic, quem ésse amicum rátus sum atque ipsus súm mihi:
Ílle, quod in se fúit, accuratum hábuit, quod possét mali
Fáceret in me, incónciliaret cópias omnís meas.

PISTOCLERUS.

Ímprobum istunc ésse oportet hóminem.

MNESILOCHUS.

Ego esse ita árbitror.

PISTOCLERUS.

Óbsecro hercle lóquere, quis is est?

MNESILOCHUS.

Bénevolens vivít tibi.
Nám ni ita esset, técum orarem, ut ei quod potis essés mali
Fácere faceres.

PISTOCLERUS.

Díc modo hominem, quí sit: si non fécero
Ei male aliquo pácto, me esse dícito ignavíssumum.

MNESILOCHUS.

Néquam homo est, verum hércle amicus ést tibi.

PISTOCLERUS.

Hem, tantó magis
Díc, quis est? nam néquam ego hominis párvi pendo grátiam.

MNESILOCHUS.

Vídeo non potêsse, quin tibi éius nomen éloquar.
Pístoclere, pérdidisti mé sodalem fúnditus.

PISTOCLERUS.

Quíd istuc est?

MNESILOCHUS.

Quid ést? misine ego ád te ex Epheso epístolam
Súper amica, ut mi invenires?

PISTOCLERUS.

Fáteor factum, et répperi.

MNESILOCHUS.

Quí? tibi non erát meretricum aliárum Athenis cópia,
Quíbuscum haberes rém, nisi cum illa, quám ego mandassém tibi,
Ípse occiperes túte amare, et me ínes consultúm male?

PISTOCLERUS.

Sánun' es?

MNESILOCHUS.

Rem répperi omnem ex tuó magistro: né nega.
Pérdidisti me.

PISTOCLERUS.

Étiamne ultro tuís me prolectás probris?

MNESILOCHUS.

Quíd? amas Bacchidém.

PISTOCLERUS.

Duas ergo hic íntus eccas Bácchides.

MNESILOCHUS.

Quí duae?

PISTOCLERUS.

Atque ambás sorores.

MNESILOCHUS.

Lóqueris nunc nugás sciens.

PISTOCLERUS.

Póstremo ego, si pérgis parvam míhi fidem arbitrárier,
Tóllam iam te in cóllum, atque intro hinc aúferam.

MNESILOCHUS.

Immo ibó: mane.

PISTOCLERUS.

Nón manebo, néque me habebis fálso suspectúm.

MNESILOCHUS.

Sequor.

PARASITUS. PUER. PISTOCLERUS.

PARASITUS.

Parasítus hominis égo sum nequam atque ímprobi
Milítis, amicam quí secum avexít Samo.
Nunc me ád eam ille ire iússit percontárier,
Utrum aúrum reddat, ánne eat secúm simul.
Tu dúdum, puere, quí cum illa usque istí simul,
Quae harúm sunt aedes púlta. adi actutum ád fores,
Recéde tu hinc dierécte. ut pulsat própudium.
Comésse panem trís pedes latúm potes,
Forés pultare néscis. ecqui in aédibus?
Heus écquis hic est? écquis hoc aperit óstium?
Ecqui éxit?

PISTOCLERUS.

Quid istuc? quaé istaec est pulsátio?
Quid? quaé te mala crux ágitat? qui ad istúnc modum
Aliéno viris tuás extentes óstio?
Forés paene confregísti. quid nunc vís tibi?

PARASITUS.

Adulescens, salve.

PISTOCLERUS.

Sálve. sed quem quaéritas?

PARASITUS.

Bacchídem.

PISTOCLERUS.

Utram ergo?

PARASITUS.

Níl scio, nisi Bácchidem.
Paucís me misit míles ad eam Cléomachus,
Vel út ducentos Philippos reddat aúreos,
Vel ut hínc in Elatiam hódie eat secúm simul.

PISTOCLERUS.

Non ít. negato itúram. abi, et renúntia.
Alium ílla amat, non illum. duc te ab aédibus.

PARASITUS.

Nimis íracunde.

PISTOCLERUS.

At scín' quam iracundús siem?
Tibi hércle haud longe est ós ab infortúnio,
Ita déntifrangibula haéc meis manibus géstiunt.

PARASITUS.

Quom ego húius verba intérpretor, mihi caútio est,
Ne núcifrangibula excússit ex malís meis.
Tuo ego ístaec igitur dícam illi perículo.

PISTOCLERUS.

Quid ais tu?

PARASITUS.

Ego istuc illi dicam.

PISTOCLERUS.

Dic mihi,
Quis tu és?

PARASITUS.

Illius sum íntegumentum córporis.

PISTOCLERUS.

Nequam ésse oportet, quoi tu integumentúm sies.

PARASITUS.

Sufflátus ille huc véniet.

PISTOCLERUS.

Dirruptúm velim.

PARASITUS.

Num quíd vis?

PISTOCLERUS.

Abeas. céleriter factóst opus.

PARASITUS.

Vale, déntifrangibule.

PISTOCLERUS.

Et tu, integumentúm, vale.
In eum haéc revenit rés locum, ut quid cónsili
Dem meó sodali súper amica nésciam,
Qui irátus renumerávit omne aurúm patri,

Neque nummus ullust, quí reddatur míliti.
Sed húc concedam. nám concrepuerúnt fores.
Mnesílochus eccum maéstus progreditúr foras.

MNESILOCHUS. PISTOCLERUS.

MNESILOCHUS.

Pétulans, protervo, íracundo ánimo, indomito, incógitato,
Síne modo et modéstia sum, síne bono iure átque honore,
Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illépidus vivo,
Málevolente ingénio natus. póstremo id mi est, quód volo aliis.
Incrédibile hoc ést: nequiér nemo est quoí di
Benefáciant, nec quém quisquam homo aút amet aut ádeat.
Inimícos quam amícos aequóm me est habére,
Malós quam bonós par magís me iuváre.
Ómnibus probris quae imprebis viris
Dígna sunt dignior núllus aeque ést homo,
Quí patri réddidi quód fuit praé manu.
Súmne ego améns homo?
Heí miser, pérdidi me, átque operam Chrýsali.

PISTOCLERUS.

Solándus hic mi est. íbo ad eum. Mnesíloche, quid fit?

589. Merc. II. 3, 1.

MNESILOCHUS.

Périi.

PISTOCLERUS.

Di mélius faciant.

MNESILOCHUS.

Périi.

PISTOCLERUS.

Non tacés, insipiens?

MNESILOCHUS.

Táceam?

PISTOCLERUS.

Satin' sánus?

MNESILOCHUS.

Perii. múlta mala mi in péctore evenérunt
Nunc ácria atque acérba. crimínin' fidem me habuísse?
Immérito iratus tíbi fui.

PISTOCLERUS.

Eia hábe bonum animum.

MNESILOCHUS.

Unde hábeam?
Nam plúris mortuús pretist, quam ego.

PISTOCLERUS.

Militis parasítus
Modo aúrum petere vénerat hinc: eúm malis meis dictis
His fóribus atque hac réppuli, reiéci.

MNESILOCHUS.

Quid mi id pródest?
Quid fáciam? nil habeó miser. illé quidem hanc hinc abdúcet.

PISTOCLERUS.

Si sít, pollicear.

MNESILOCHUS.

Scío, dares. nisi amés, fidem habeam tántam.
Nunc sát tute agitas tuárum rerum, ego út opem mihi te férre
Putém posse inopem.

PISTOCLERUS.

Táce modo: deus réspiciet nos áliquis.

MNESILOCHUS.

Nugáé.

PISTOCLERUS.

Manedum.

MNESILOCHUS.

Quid est?

PISTOCLERUS.

Chrýsalum tuam cópiam eccum vídeo.

CHRYSALUS.

CHRYSALUS.

Húnc hominem decet aúro expendi: huic státuam statui décet ex auro.

Nám duplex feci hódie facinus, dúplicibus spoliís sum affectus.
Érum maiorem méum ut ego hodie lúsi lepide. ut lúdificatust.
Cállidum senem cállidis dolis
Cómpuli et pérpuli mi ómnia ut créderet.
Núnc amanti ero, fílio senis,
Quicum égo bibo, quicum édo et amo,
Régias cópias aúreasque óbtuli,
Út domo súmeret, neú foris quaéreret.
Nón mihi istí placent Pármenónes, Syri,
Quí duas, trís minas aúferunt suís eris.
Néquius níl quam egens cónsili sérvos est,
Nisi habét multipotens péctus, ut, ubicumque úsust, pectore suo éxpromat.
Frugi ésse potest nullús homo, nisi qui et béne facere et male fácere tenet.
Ímprobus sit cum ímprobis,
Hárpaget cum fúribus,
Quód queat: nam vérsipellem frúgi esse hominem cónvenit.
Pectús quoí sapit,
Bonús sit bonis, malús sit malis;
Ut quaécúmque res sit, hábeát animum.
Séd lubet scire quantum aúrum erus sibi
Démpsit et quíd suo réddidit patri.
Sí frugist, Hérculem fécit ex patre:
Décumam partem eí dedit, sibi novem abstulit.
Séd quem quaero óptume ecce óbviam mihi est.

Núm qui tibi nummi éxciderunt, ére, quod sic terrám tacens
Óbtuere? quíd vos maestos trístesque esse cónspicor?
Nón placet, nec témere est etiam. quín respondetís mihi?

MNESILOCHUS.

Chrýsale, occidí.

CHRYSALUS.

Fortassis tu aúri dempsistí parum.

MNESILOCHUS.

Quíd, malum, parum? ímmo vero nímio minus multó ae parum.

CHRYSALUS.

Quíd, malum, igitur, stúlte? quoniam occásio ad eam rém fuit
Meá virtute párta, ut, quantum vélles, tantum súmeres,
Sic hoc sumebás duobus dígitulis primóribus?
Án nescibas, quam eíusmodi homini ráro tempus sé daret?

MNESILOCHUS.

Erras.

CHRYSALUS.

Atqui túte errasti, quóm parum immersti ámpliter.

MNESILOCHUS.

Pól tu me quam núnc accuses mágis, si magis rem nóveris.
Óccidi.

CHRYSALUS.

Animus iam ístoc dicto plús praesagitúr mali.

MNESILOCHUS.

Périi.

CHRYSALUS.

Quid ita?

MNESILOCHUS.

Quía patri omne cúm ramento réddidi.

CHRYSALUS.

Réddidisti?

MNESILOCHUS.

Réddidi.

CHRYSALUS.

Omnene?

MNESILOCHUS.

Óppido.

CHRYSALUS.

Occisí sumus.

Qui ín mentem venít tibi istuc fácinus facere tám malum?

MNESILOCHUS.

Bácchidem atque hunc súspicabar própter crimen, Chrýsale,
Mále me consuluísse: ob eam rem omne aúrum iratus réddidi
Meó patri.

CHRYSALUS.

Quid, úbi reddebas aúrum, dixistí patri?

MNESILOCHUS.

Mé id aurum accepísse extemplo ab hóspite Archidémide.

CHRYSALUS.

Hém, istoc dicto hodié dedisti tu ín cruciatum Chrýsalum:
Nam úbi me aspiciet, ád carnuficem rápiet continuó senex.

MNESILOCHUS.

Égo patrem exorávi.

CHRYSALUS.

Nempe hoc érgo ut faceret, quód loquor.

MNESILOCHUS.

Ímmo tibi ne nóceat, neu quid ób eam rem succénseat.
Atque aegre impetrávi. nunc hoc tíbi curandum est, Chrýsale.

CHRYSALUS.

Quíd vis curem?

MNESILOCHUS.

Ut ád senem etiam tu álteram faciás viam:
Cómpara, fabricáre, finge quód lubet, conglútina,
Út senem hodie indóctum docte fállas, aurumque aúferas.

657. Vide v. 1055.

CHRYSALUS.

Vix videtur fieri posse.

MNESILOCHUS.

Pérge, ac facile ecféceris.

CHRYSALUS.

Quám, malum, facile? quém mendaci préndit manifestúm modo:
Quém si ego orem, ut míhi nil credat, íd non ausit crédere.

MNESILOCHUS.

Ímmo si audiás, quae dicta díxit me advorsúm tibi.

CHRYSALUS.

Quíd dixit?

MNESILOCHUS.

Si tu íllum solem síbi solem esse díxeris,
Se íllum lunam crédere esse, et nóctem qui nunc ést dies.

CHRYSALUS.

Émungam hercle hominém probe hodie, ne íd nequiquam díxerit.

MNESILOCHUS.

Núnc quid nos vis fácere?

CHRYSALUS.

Enim nil, nísi ut ametis ímpero.
Céterum quantúm lubet me póscitote aurum, égo dabo.

Quíd mihi reffert Chrýsalo esse nomen, nisi factís probo?
Séd nunc quantillum úsust auri tíbi, Mnesiloche, díc mihi.

MNESILOCHUS.

Míliti nummís ducentis iam úsus est pro Bácchide.

CHRYSALUS.

Égo dabo.

MNESILOCHUS.

Tum súmptu nobis ópus est.

CHRYSALUS.

Ah placidé volo
Únumquidque agámus: hoc ubi ego égero, tum istúc agam.
Dé ducentis númmis primum inténdam balistam ín senem.
Eá balista sí pervortam túrrim et propugnácula,
Récta porta invádam extemplo in óppidum antiquom ét vetus:
Si íd capso, geritóte amicis vóstris aurum córbibus,
Sí quoi superat ánimus.

PISTOCLERUS.

Apud te est ánimus noster, Chrýsale.

CHRYSALUS.

Núnc tu abi intro, Pístoclere, ad Bácchidem, atque eofér cito

PISTOCLERUS.

Quíd?

CHRYSALUS.

Stilum, cerám, tabellas, línum.

PISTOCLERUS.

Iam faxo híc erunt.

MNESILOCHUS.

Quíd nunc es factúrus? id mihi díc.

CHRYSALUS.

Coctum esto prándium.
Vós duo eritis, átque amica túa erit tecum tértia.

MNESILOCHUS.

Sícut dicis.

CHRYSALUS.

Pístoclero núlla amica est?

MNESILOCHUS.

Immo adest.
Álteram ille amát sororem, ego álteram, ambas
Bácchides.

CHRYSALUS.

Quíd tu loqueris?

MNESILOCHUS.

Út futuri súmus.

CHRYSALUS.

Ubi est biclínium
Vóbis stratum?

MNESILOCHUS.

Quíd id exquaeris?

CHRYSALUS.

Rés ita est: dicí volo.
Néscis, quid ego actúrus sim, neque fácinus quantum exórdiar.

MNESILOCHUS.

Cédo manum, ac subséquere propius me ád fores. intro ínspice.

CHRYSALUS.

Euax,
Nímis hic bellus, átque ut esse máxume optabám, locus.

PISTOCLERUS.

Quae ímperavisti, ímperatum béne bonis factum illicost.

CHRYSALUS.

Quíd parasti?

PISTOCLERUS.

Quaé parari túte iussisti ómnia.

CHRYSALUS.

Cápe stilum propere ét tabellas tú tibi has.

MNESILOCHUS.

Quid póstea?

CHRYSALUS.

Quód iubebo, scríbito istic. nám propterea té volo
Scribere, ut patér cognoscat líteras, quandó legat.
Scríbe.

MNESILOCHUS.

Quid scribám?

CHRYSALUS.

Salutem tuó patri verbís tuis.

PISTOCLERUS.

Quíd si potius mórbum et mortem scríbat? id erit réctius.

MNESILOCHUS.

Ne ínterturba. iam ímperatum in céra inest.

CHRYSALUS.

Dic quémadmodum?

MNESILOCHUS.

Mnésilochus salútem dicit suó patri.

CHRYSALUS.

Adscribe hóc cito:
Chrýsalus mihi úsque quaque lóquitur nec recté, pater,
Quía tibi aurum réddidi, et quia nón te defraudáverim.

PISTOCLERUS.

Máne, dum scribit.

CHRYSALUS.

Célerem oportet ésse amatoris manum.

PISTOCLERUS.

Haéc quidem hercle est ád perdundum mágis quam ad scribendúm cita.

MNESILOCHUS.

Lóquere: hoc scriptum est.

CHRYSALUS.

Núnc, pater mi, proín tu ab eo ut caveás tibi,
Sýcophantiás componit, aúrum ut abs te hoc aúferat:
Ét profecto se áblaturum díxit. plane adscríbito.

MNESILOCHUS.

Díc modo.

CHRYSALUS.

Atque id póllicetur sé daturum aurúm mihi,
Quód dem scortis, quódque in lustris cómedim, et congraecém, pater.
Séd, pater, vide né tibi hodie vérba det: quaesó, cave.

MNESILOCHUS.

Lóquere porro.

CHRYSALUS.

Adscríbedum.

MNESILOCHUS.

Etiam lóquere, quid scribám, modo.

CHRYSALUS.

Séd, pater, quod prómisisti míhi, te quaeso ut ménineris,
Ne íllum verberés, verum apud te vínctum asservató domi.
Cédo tu ceram ac línum actutum. age, óbliga, obsigná cito.

MNESILOCHUS.

Óbsecro, quid istís ad istunc úsust conscriptís modum,
Út tibi ne quid crédat, atque ut vínctum te asservét domi?

CHRYSALUS.

Quía lubet. potin' út tu cures te, átque ne parcás mihi?
Meá fiducia ópus conduxi, et meó periclo rém gero.

MNESILOCHUS.

Aéquom dicis.

CHRYSALUS.

Cédo tabellas.

MNESILOCHUS.

Ácipe.

CHRYSALUS.

Animum advórtite.
Mnésiloche et tu Pístoclere, iám facite, in biclínio
Cúm amica sua utérque accubitum eátis. ita negótiumst.
Átque ibidem ut, ubi núnc sunt lecti stráti, potetís cito.

PISTOCLERUS.

Númquid aliud?

CHRYSALUS.

Haéc, atque etiam út úbi erit accubitúm semel,
Né quoquam exsurgátis, donec á me erit signúm datum.

PISTOCLERUS.

Ó imperatorém probum.

CHRYSALUS.

Iam bís bibisse opórtuit.

MNESILOCHUS.

Éuge eamus.

CHRYSALUS.

Vós curate vóstrum, ego ecficiám meum.

CHRYSALUS.

Insánum magnum mólior negótium,
Metuóque ut hodie póssim id emolírier.
Sed núnc truculento mi átque saevo usús senest.
Nam nón conducit huíc nunc sycophántiae
Seném tranquillum mi ésse, ubi ubi me aspéxerit.
Versábo ego hercle hodie íllum, si vivó, probè.
Tam fríctum ego illum réddam, quam frictúmst cicer.
Adámbulabo ad óstium, ut, quando éxeat,
Extémplo advenienti eí tabellas dem in manum.

NICOBULUS. CHRYSALUS.

NICOBULUS.

Nimio íllaec res est mágnae dividiaé mihi,
Subtérfugisse sic mihi hodie Chrýsalum.

CHRYSALUS.

Salvós sum, iratus ést senex. nunc ést mihi
Adeúndi ad hominem témpus.

NICOBULUS.

Quis loquitúr prope?
Atque hic quidem, opinor, Chrysalust.

CHRYSALUS.

Accéssero.

NICOBULUS.

Bone sérve, salve. quíd fit? quam mox návigo
In Éphesum, ut aurum répetam ab Theotimó domum?
Tacés? per omnis deós adiuro, ut, ni meum
Gnatúm tam amem, atque ei fácta cupiam quae ís velit,
Ut túa iam virgis látera lacerentúr probe,
Ferrátusque in pistríno aetatem cónteras.
Omnía rescivi scélera ex Mnesilochó tua.

CHRYSALUS.

Men' críminatust? óptume est: ego súm malus,
Ego súm sacer, sceléstus.

NICOBULUS.

Etiam, cárnufex,
Minitáre?

CHRYSALUS.

Nosces tu íllum actutum quí siet.
Nunc hásce tabulas férre me iussít tibi.
Orábat, quod ístic ésset scriptum, ut fieret.

NICOBULUS.

Cedo.

CHRYSALUS.

Nósce signum.

746. Chrysali verbis libri addunt *specta rem modo: ego verbum faciam:* deest *nullum.*

NICOBULUS.

Nóvi. ubi ipse est?

CHRYSALUS.

Néscio.

Nil iám me oportet scíre: oblitus sum ómnia.
Scio me ésse servom. néscio etiam id quód scio.
Nunc áb transenna hic túrdus lumbricúm petit:
Pendébit hodie púlchre, ita intendí tenus.

NICOBULUS.

Manedúm parumper: iam éxeo ad te, Chrýsale.

CHRYSALUS.

Ut vérba mihi dat. út nescio quam rém gerat.
Servós arcessit íntus, qui me vínciant.
Bene návis agitur, púlchre haec confertúr ratis.
Sed cónticiscam: nam aúdio aperirí fores.

NICOBULUS. CHRYSALUS.

NICOBULUS.

Constrínge tu illi iam, Ártamo, actutúm manus.

CHRYSALUS.

Quid féci?

NICOBULUS.

Impinge púgnum, si muttíverit.
Quid haé locuntur líterae?

CHRYSALUS.

Quid mé rogas?
Ut ab íllo accepi, ad te óbsignatas áttuli.

NICOBULUS.

Eho tú, loquitatusne és meo gnató male
Per sérmonem ideo, quía mi id aurum réddidit,
Et té dixisti id aúrum ablaturúm tamen
Per sycophantiam?

CHRYSALUS.

Égone dixi istúc?

NICOBULUS.

Ita.

CHRYSALUS.

Quis homést, qui dicat mé dixisse istúc?

NICOBULUS.

Tace.
Nullús homo dicit: haé tabellae te árguunt,
Quas tu áttulisti. hem, haé te vincirí iubent.

CHRYSALUS.

Ah Béllerophontem túus me fecit filius.
Egomét tabellas tétuli, ut vincirér? sine.

NICOBULUS.

Proptérea hoc facio, ut suádeas gnató meo
Ut pérgraecetur técum, tervenéfice.

CHRYSALUS.

O stúlte, stulte, néscis nunc venire te:
Atque ín eo ipso astas lápide, ut praeco praédicat.

771. Ad hunc locum fortasse in Menandri fabula pertinuit, quod Fulgentius Mythol. III. 1. p. 704. Bellerophonten quasi *βουληφορούντα* dictum memorans scribit: *nam et Menandri similiter in Disexapatonti comoedia ait βουληφόρως τὴν ἡμετέραν, ὦ Δημέα, προκατέλαβες ὄρασιν: id est, consiliarie nostram, Demea, praeoccupavisti visionem.*

NICOBULUS.

Respónde: quis me véndit?

CHRYSALUS.

Quem di díligunt,
Aduléscens moritur, dúm valet, sentít, sapit.
Hunc si úllus deus amáret, plus annís decem,
Plus iám viginti mórtuum esse opórtuit:
Nam núnc terrae odium inámbulat. iam níl sapit
Nec séntit. tanti est, quánti est fungus pútidus.

NICOBULUS.

Tun' térrae me odium esse aútumas? abdúcite hunc
Intro, átque adstringite ád columnam fórtiter.
Numquam aúferes hinc aúrum.

CHRYSALUS.

Atqui ultro iám dabis.

NICOBULUS.

Dabo?

CHRYSALUS.

Átque orabis mé quidem ultro, ut aúferam,
Quom illúm rescisces críminatorém meum,
Quánto ín periclo et quánta in pernicié siet.
Tum líbertatem Chrýsalo largíbere:
Ego ádeo numquam accípiam.

NICOBULUS.

Dic, scelerúm caput,
Dic, quo ín periclo est méus Mnesilochus fílius?

777. Menander: ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

CHRYSALUS.

Sequere hác me, faxo iám scies.

NICOBULUS.

Quo géntium?

CHRYSALUS.

Tres únos pássus.

NICOBULUS.

Vél decem.

CHRYSALUS.

Agedum, tu Ártamo,
Forem hánc pauxillulum áperi: placide, né crepa:
Sat ést. accede huc tú. viden' convívium?

NICOBULUS.

Video éxadvorsum Pístoclerum et Bácchidem.

CHRYSALUS.

Qui súnt in lecto illo áltero?

NICOBULUS.

Interii miser!

CHRYSALUS.

Novístine hominem?

NICOBULUS.

Nóvi.

CHRYSALUS.

Dic sodés mihi,
Bellán' videtur spécie mulier?

NICOBULUS.

Admodum.

CHRYSALUS.

Quid illám, meretricemne ésse censes?

NICOBULUS.

Quippeni?

CHRYSALUS.

Frustra és.

NICOBULUS.

Quis igitur óbsecro est?

CHRYSALUS.

Invéneris.
Ex mé quidem hodie númquam fies cértior.

CLEOMACHUS. NICOBULUS. CHRYSALUS.

CLEOMACHUS.

Meamne hic Mnesilochus, Nicobuli filius,
Per vim retineat múlierem? quae haec fáctiost?

NICOBULUS.

Quis ille ést?

CHRYSALUS.

Per tempus hic venit milés mihi.

CLEOMACHUS.

Non me árbitratur mílitem, sed múlierem,
Qui mé meosque nón queam deféndere.
Nam néque Bellona mi úmquam neque Mars créduat,

Ni illum éxanimalem fáxo, si convénero,
Nive éxheredem fécero vitaé suae.

NICOBULUS.

Chrysále, quis est hic, quí minitatur fílio?

CHRYSALUS.

Vir hic ést illius múlieris, quacum áccubat.

NICOBULUS.

Quid, vír?

CHRYSALUS.

Vir, inquam.

NICOBULUS.

Núpta illa obsecro ést?

CHRYSALUS.

Scies
Haud múlto post.

NICOBULUS.

Ego óppido interíi miser.

CHRYSALUS.

Quid núnc? scelestus tíbi videtur Chrýsalus?
Age núnc, vincito me, aúscultato fílio.
Dixín' tibi inventúrum te, qualís siet?

NICOBULUS.

Quid núnc ego faciam?

CHRYSALUS.

Iúbe sis me exsolví cito:
Nam nísi ego exsolvor, iám manifesto hominem óp-
primet.

CLEOMACHUS.

Nihil ést lucri, quod me hódie facere mávelim,
Quam illúm cubantem cum illa opprimere, ambo út necem.

CHRYSALUS.

Audín' quae loquitur? quín tu me exsolví iubes?

NICOBULUS.

Exsólvite istum. périi, pertimuí miser.

CLEOMACHUS.

Tum illám, quae corpus públicat volgó suum,
Faxó se haud dicet náctam, quem derídeat.

CHRYSALUS.

Pacísci cum illo paúllula pecúnia
Potés.

NICOBULUS.

Pacisce ergo óbsecro quid tíbi lubet,
Dum né manifesto hominem ópprimat neve énicet.

CLEOMACHUS.

Nunc nísi ducenti Philippi redduntúr mihi,
Iam illórum ego amborum ánimam exsorbebo óppido.

NICOBULUS.

Hem illóc pacisce, sí potes. perge óbsecro:
Pacísce quidvis.

825. Madvigius Opusc. II. p. 78.

CHRYSALUS.

Íbo et faciam sédulo.

Quid clámas?

CLEOMACHUS.

Ubi erus túus est?

CHRYSALUS.

Nusquam: néscio.

Vis tibi ducentos núммos iam promíttier,

Ut né clamorem hic fácias, neu convícium?

CLEOMACHUS.

Nihil ést, quod malim.

CHRYSALUS.

Atque út tibi mala multa ingeram?

CLEOMACHUS.

Tuo árbitratu.

NICOBULUS.

Ut súbblanditur cárnufex.

CHRYSALUS.

Pater hic Mnesilochist: séquere: is promittét tibi.

Tu aurúm rogato; céterum verbúm sat est.

NICOBULUS.

Quid fit?

CHRYSALUS.

Ducentis Philippis rem pepigí.

NICOBULUS.

Vaha,

Salús, servasti mé. quam mox dicó dabo?

CHRYSALUS.

Roga húnc tu, tu promitte huic.

NICOBULUS.

Promittó: roga.

CLEOMACHUS.

Ducéntos nummos aúreos Philippós probos:
Dabín'?

CHRYSALUS.

Dabuntur ínque: respondé.

NICOBULUS.

Dabo.

CHRYSALUS.

Quid núnc, impure, númquid debetúr tibi?
Quid illí molestu's? quid illum morte térritas?
Ego et ílle te mactámus infortúnio.
Si tíbi machaera, at nóbis veruinást domi:
Qua quídem te faciam, sí tu me irritáveris,
Conféssiorem sóricina nénia.
Iamdúdum hercle equidem séntio, suspício
Quae té sollicitet, ésse eum cum illa múliere.

CLEOMACHUS.

Immo ést quoque.

CHRYSALUS.

Ita me Iúppiter, Iunó, Cerès,
Minérva, Spes, Latóna, Opis, Virtús, Venus,
Castór, Polluces, Márs, Mercurius, Hércules,
Submánus, Sol, Satúrnus, dique omnés ament,

Ut ille cum illa néque cubat, neque ámbulat,
Neque ósculatur, néque illud quod dicí solet.

NICOBULUS.

Ut iúrat. servat me ille suis periúriis.

CLEOMACHUS.

Ubi núnc Mnesilochus érgo est?

CHRYSALUS.

Rus misít pater.
Illa aútem in arcem hinc ábiit aedem vísere
Minérvae. nunc apérta est. i, vise, éstne ibi.

CLEOMACHUS.

Abeo ad forum igitur.

CHRYSALUS.

Vél tu hercle in malám crucem.

CLEOMACHUS.

Hodie éxigam aurum hoc?

CHRYSALUS.

Éxige, ac suspénde te:
Ne súpplicare tibi me, nihili, cénseas.
Ille ést amotus. síne me, per te, ere, óbsecro
Deos ímmortales, íre huc intro ad fílium.

NICOBULUS.

Quid eo íntroibis?

CHRYSALUS.

Út eum dictis plúrumis
Castígem, quom haec hic fácta ad hunc faciát modum.

NICOBULUS.

Immo óro ut facias, Chrýsale, et te id óbsecro,
Cave pársis in eum dícere.

CHRYSALUS.

Etiam mé mones?
Satin' ést, si plura ex me aúdiet hodié mala,
Quam audívit umquam Clínia ex Demétrio?

NICOBULUS.

Lippi íllic oculi sérvos est simíllumus:
Si nón est, nolis ésse, neque desíderes:
Si est, ábstinere quín attingas nón queas.
Nam ni íllic hodie fórte fortuna híc foret,
Milés Mnesilochum cum úxore opprimerét sua
Atque óbtruncaret moéchum manufestárium.
Nunc quási ducentis Philippis emi fílium,
Quos dáre promisi míliti: quos nón dabo
Temere étiam, priusquam fílium convénero.
Numquam édepol quidquam témere credam Chrýsalo.
Verúm libet etiam mi hás perlegere dénuo:
Aequómst tabellis cónsignatis crédere.

CHRYSALUS. NICOBULUS.

CHRYSALUS.

Atrídae duo fratrés cluent fecisse facinus máxumum,
Quom Príami patriam Pérgamum, divína moenitúm manu,
Armís, equis, exércitu, atque exímiis bellatóribus,
Millí cum numero návium, decumo ánno post subégerunt.

Non pédibus tormentó ruit, praeut égo erum expugnabó meum,
Sine clásse sineque exércitu et tánto numero mílitum.
Cepi, éxpugnavi amánti erili fílio aurum ab suó patre.
Nunc príus huc quam senéx venit, libet lámentari, dum éxeat.
O Tróia, o patria, o Pérgamum, o Príame, periistí, senex,
Qui mísere male mulcábere quadrigéntis Philippis aúreis.
Nam ego hás tabellas óbsignatas cónsignatas, quás fero,
Non súnt tabellae, séd equus, quem misére Achivi ligneum.
Epíust Pistoclérus: ab eo haec súmpta. Mnesilochús Sinost
Relíctus. ellum: nón in busto Achílli, sed in lecto áccubat:
Baochídem habet secum, ille ólim ut habuit ígnem, qui signúm daret:
Nunc ípsum exurit. égo sum Ulixes, quóius consilio haéc gerunt.
Tum quae híc sunt scriptaé líterae, hoc ínsunt in equo mílites
Armáti atque animatí probe. ita rés successit mi úsque adhuc.
Atque híc equus non in árcem, verum in árcam faciet ímpetum.

Excídium, exitium, exlécebra fiet hic equus hodie auró senis.
Nostró seni huic stolido, ei profecto nómen facio ego Ílio.
Milés Menelaust: égo Agamemno: idém sum Ulixes Lártius,
Mnesílochus est Alexánder, qui erit exítium rei patriaé suae:
Is Hélenam abduxit, quóia caussa núnc fácio obsidium Ílio.
Nam illi ítidem audivi Ulíxem, ut ego sum, fuísse et audacem ét malum.
Doli égo deprénsus sum: ille mendicáns inventus paéne ibi
Intériit, dum inibi exquírit facta. assímiliter mi hodie óbtigit.
Vinctús sum, sed dolís me exemi. item ille se servát dolis.
Tum tría fuisse audívi fata, quae Ílio exitió forent:
Ex árce signum sí perisset: álterum est mors Tróili:
Quom pórtae Phrygiae límen superum scínderetur, tértium.
Eis ítidem paria tría tribus sunt fáta nostro huic Ílio:
Nam dúdum primo ut díxeram nostró seni mendácium
Et de hóspite, et de auro, ét de lembo, ibi sígnum ex arce iam ábstuli.
Iam dúo restabant fáta tum, nec mágis id ceperam óppidum.
Post úbi tabellas ád senem tetuli, íbi ego occidi Tróilum.

Quom cénsuit Mnesílochum cum uxore ésse dudum mílitis,
Ibi víx me exsolvi. atque íd periclum assímulo, Ulixem ut praédicant
Ab Hélena cognitum ésse proditum Hécubae. sed ut olim ílle se
Blandítiis ab ea exémit, et persuásit, ut se amítteret,
Item égo dolis me illo éxpuli periclo, et decepí senem.
Post cúm magnifico mílite, urbes vérbis qui inermús capit,
Conflíxi, atque hominem réppuli: dein púgnam conseruí seni:
Eum ádeo uno ego mendácio devíci, uno ictu extémpulo
Ego cépi spolia. is núnc ducentos númmos Philippos míliti,
Quos dáre se promisít, dabit. nunc álteris etiam úsus est,
Qui díspensentur, út sit mulsum quí triumphent mílites.
Sed Príamus hic multo ílli praestat. nón quinquagintá modo,
Quadrigéntos filiós habet, atque ómnis lectos síne probro:
Eos égo hodie omnis cóntruncabo duóbus solis íctibus.
Nunc Príamo nostro si émptor est, coémptionalém senem

Vendam égo, venalem quem hábeo, extemplo ubi óppidum expugnávero.
Sed Príamum astantem eccum ánte portam vídeo. adibo atque álloquar.

NICOBULUS.

Cúianam vox própe me sonat?

CHRYSALUS.

O Nícobule!

NICOBULUS.

Quid fit?

CHRYSALUS.

* *

NICOBULUS.

Quíd, quod te misi, écquid egísti?

CHRYSALUS.

Rogas? congrédere.

NICOBULUS.

Gradior.

CHRYSALUS.

Óptumus sum orátor. hominem ad lácrumas castigándo adegi
Máleque dictis, quaé quidem quivi cómminisci.

NICOBULUS.

Quíd ait?

CHRYSALUS.

Verbum
Núllum fecit: lácrumans tacitus aúscultabat, quae égo loquebar:

Tácitus conscripsít tabellas: óbsignatas mi has dedít: dein
Tíbi me iussit dáre. sed metuo, né idem cantent quód priores.
Nósce signum. estne éius?

NICOBULUS.

Novi. líbet perlegere has.

CHRYSALUS.

Pérlege.
Nunc súperum limen scínditur, nunc própe adest exitium Ílio.
Turbát equus lepide lígneus.

NICOBULUS.

Chrysále, ades, dum ego has pérlego.

CHRYSALUS.

Quíd me tibi opus ést adesse?

NICOBULUS.

Vólo ego ut quod te iúbeo facias,
Út scias, quae scripta sint hic.

CHRYSALUS.

Níl moror, nec vólo ego scire.

NICOBULUS.

Támen ades.

CHRYSALUS.

Quid ópus est?

NICOBULUS.

Taceas: quód te iubeo, id fácias.

CHRYSALUS.

Adero.

NICOBULUS.

Eúge literás minutas.

CHRYSALUS.

Quí quidem parum óculis videat:
Vérum, qui satis vídeat, grandes sátis sunt.

NICOBULUS.

Animum advórtito igitur.

CHRYSALUS.

Nólo inquam.

NICOBULUS.

At volo, ínquam.

CHRYSALUS.

Quid opust?

NICOBULUS.

Át enim id, quod te iúbeo, facias.

CHRYSALUS.

Iústum est, ut tuûs tibi servos sérviat tuo árbitratu.

NICOBULUS.

Hóc age sis nunc.

CHRYSALUS.

Úbi lubebit, récita: tibi dico aúrium operam.

NICOBULUS.

Cérae haud parsit, néque stilo; sed quídquid est,
perlégere certumst.

952. Mil. III. 1, 36. *clare oculis video.*

„Patér ducentos Phílippos quaeso Chrýsalo
Da, si ésse salvom vís me aut vitalém tibi.“

CHRYSALUS.

Malúm quidem hercle mágnum: tibi dicó.

NICOBULUS.

Quid ést?

CHRYSALUS.

Non príus salutem scrípsit?

NICOBULUS.

Nusquam séntio.

CHRYSALUS.

Non dábis, si sapies; vérum si das máxume,
Nae ille álium gerulum quaérat, si sapiét, sibi:
Nam ego nón laturus súm, si iubeas máxume.
Sat sic suspectus súm, quom careo nóxia.

NICOBULUS.

Auscúlta porro, dum hóc, quod scriptum est, pérlego.

CHRYSALUS.

Inde á principio iam ímpudens epístolast.

NICOBULUS.

„Pudét prodire me ád te in conspectúm, pater:
Tantúm flagitium té scire audiví meum,
Quod cúm peregrini cúbui uxore mílitis.“
Pol haúd derides. nám ducentis aúreis
Philippís redemi vítam ex flagitió tuam.

CHRYSALUS.

Nihil ést illorum, quín ego illi díxerim.

NICOBULUS.

„Stulté fecisse fáteor. sed quaesó, pater,
Ne me, ín stultitia sí deliqui, déseras.
Ego ánimo cupido atque óculis indomitís fui.
Persuásum est facere, quoíus me nunc fàctí pudet.“
Prius cávisse ergo quám pudere aequóm fuit.

CHRYSALUS.

Eadem ístaec verba dúdum dixi illi ómnia.

NICOBULUS.

„Quaeso, út sat habeas íd, pater, quod Chrýsalus
Iam me óbiurgavit plúrumis verbís malis,
Et mé meliorem fécit praeceptís suis,
Ut eí te habere grátiam aequom sít bonam.“

CHRYSALUS.

Estne ístuc istic scríptum?

NICOBULUS.

Hem specta, túm scies.

CHRYSALUS.

Ut quí deliquit, súpplex est ultro ómnibus.

NICOBULUS.

„Nunc sí me fas est óbsecrare abs té, pater,
Da míhi ducentos númmos Philippos, te óbsecro.“

CHRYSALUS.

Ne unúm quidem hercle, sí sapis.

NICOBULUS.

Sine pérlegam:
„Ego iúsiurandum verbis conceptis dedi,

Datúrum id me hodie múlieri ante vésperum,
Priusquam á me abiret. núnc, pater, ne péierem,
Cura, átque abduce me híne ab hac, quantúm potes,
Quam própter tantum dámni feci et flágiti.
Cave tibi ducenti númmi dividiaé fuant.
Sescénta tanta réddam, si vivó, tibi.
Vale, átque haec cura.“ quíd nunc censes, Chrýsale?

CHRYSALUS.

Nihil égo tibi hodie cónsili quidquám dabo,
Neque ego haúd committam, ut, sí quid peccatúm siet,
Fecísse dicas dé mea senténtia.
Verum, út ego opinor, égo si in istoc sím loco,
Dem pótius aurum, quam íllum corrumpí sinam.
Duae cóndiciones súnt: utram accipiás, vide:
Vel ut aúrum perdas, vél ut amator péieret.
Ego néque te iubeo, néque veto, neque suádeo.

NICOBULUS.

Miserét me illius.

CHRYSALUS.

Túus est, non mirúm facis.
Si plús perdundum sit, perisse suáviust
Quam illúd flagitium vólgo dispaléscere.

NICOBULUS.

Nae ille édepol Ephesi múlto mavellém foret,
Dum sálvos esset, quám revenissét domum.
Quid ego ístuc? quód perdundum est, properem pérdere.

Binós ducentos Phílippos iam intus écferam:
Et míliti quos dúdum promisí miser,
Et istós. mane istic: iam éxeo ad te, Chrýsale.

CHRYSALUS.

Fit vásta Troia, scíndunt proceres Pérgamum.
Scivi égo iamdudum fóre me exitium Pérgamo.
Edepól qui me esse dícat cruciatú malo
Dignúm, nae cum illo pígnus haud ausím dare,
Tantás turbęllas fácio. sed crepuít foris:
Ecfértur praeda ex Tróia. taceam núnc iam.

NICOBULUS.

Cape hóc tibi aurum, Chrýsale. i, fer fílio.
Ego ád forum autem hinc íbo, ut solvam mílitem.

CHRYSALUS.

Non équidem aceipiam. proín tu quaeras, quí ferat.
Noló mihi credi.

NICOBULUS.

Cápe vero: odiosé facis.

CHRYSALUS.

Non équidem capiam.

NICOBULUS.

At quaéso.

CHRYSALUS.

Dico, ut rés se habet.

NICOBULUS.

Moráre.

CHRYSALUS.

Nolo, inquam, aúrum concredí mihi.
Vel da áliquem, qui servét me.

NICOBULUS.

Ohe, odiosé facis.

CHRYSALUS.

Cedo, sí necesse est.

NICOBULUS.

Cúra hoc. iam huc revénero.

CHRYSALUS.

Curátum est, esse té senem misérrumum.
Hoc ést incepta efficere: veluti núnc mihi
Evénit, ut ovans praéda onustus céderem.
Salúte nostra atque úrbe capta pér dolum
Domúm reduco ego íntegrum omnem exércitum.
Sed, spéctatores, vós nunc ne mirémini,
Quod nón triumpho. pérvolgatum est, níl moror.
Verúmtamen accipiéntur mulso mílites.
Nunc hánc praedam omnem iam ád quaestorem déferam.

PHILOXENUS.

PHILOXENUS.

Quam mágis in pectore meó foveo, quas méus filius turbás turbet,
Quam se ád vitam et quos ád mores praecípitem ille inscitús capessat,

Magis cúrae est, magísque affórmido, ne is péreat, neu corrúmpatur.
Scio: fúi ego illa aetate, ét feci illa ómnia; sed moré modesto.
Duxi, hábui scortum, pótavi, edí, donavi. etenim íd raro.
Neque plácitant mores, quíbus video volgó gnatis essé parentes.
Ego dáre ludum gnato ínstitui, animo óbsequium ut sumére possit:
Aequom ésse puto: sed nímis nolo. nunc Mnésilochum, quod mándavi,
Viso, écquid eum ad virtútem aut ad frugem ílle opera sua cómpulerit:
Sicút eum scio, si cónvenit, fecísse: eo est ingenió natus.

NICOBULUS. PHILOXENUS.

NICOBULUS.

Qui súnt et ubi ubi, quiqué fuerunt, quiqué futuri sunt pósthac
Stultí, stolidi, fatuí, fungi, bardí, blenni, buccónes,
Solús ego omnis longe ántedeo stultítia et moribus móris.

1047. Pers. V. 2, 1. *qui sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri sunt posthac.*
1049. Menaechm. IV. 2, 1. Poen. I. 2, 161. Trin. III. 2, 43.

Perii, pudet. hoccine me aétatis ludós bis factum indígne?
Magis quam íd reputo, tam mágis uror, quae méus filius turbávit.
Perdítus sum, atque eradícatus sum: omnibus exemplis crúcior.
Omnía me mala conséctantur, omnibus interii exítiis.
Chrysálus hodie me láceravit, Chrysálus miserum spoliávit:
Is mé scelus usque dolís doctis indóctum, ut lubitum, attóndit.
Ita míles memorat méretricem, quam ille úxorem esse aiébat.
Omníaque, ut quidque actúmst, memorat: sibi eam húnc annum condúctam.
Relicúum id auri factúm, quod ego ei stultús homo promisíssem.
Hoc, hoc ést, quod pectus péracescit, hoc est démum quod percrúcior,
Me hoc aétatis ludíficari: immo edepól sic ludos fáctum,
Canó capite atque albá barba miserúm me auro esse emúnctum.
Perii, hóc servom meum nón nauci facere ésse ausum. atque ego, si álibi
Plus pérdiderim, minus aégre habeam, minusque íd mihi damno dúcam.

1059. Aul. III. 4, 9. *ita mihi pectus peracuit.*

PHILOXENUS.

Certo híc prope me mihi néscio quis visús loquist:
sed quem vídeo?

Pater híc quidem Mnesilochíst.

NICOBULUS.

Socium, euge, aerúmnae atque mali vídeo.
Philóxene, salve.

PHILOXENUS.

Ét tu. unde agís te?

NICOBULUS.

Unde homó miser atque ínfortunátus.

PHILOXENUS.

At pól certo ego íbi sum, esse ubi hóminem decét miserum atque ínfortunátum.

NICOBULUS.

Pari ígitur fortúna utimúr nos aetáte ut sumús.

PHILOXENUS.

Sic est. séd, tu,
Quíd tibi est?

NICOBULUS.

Pól mihist pár idem quód tibi.

PHILOXENUS.

Númquid ad fílium haec aégritudo áttinet?

NICOBULUS.

Ádmodum.

PHILOXENUS.

Idém mihi mórbus in péctorest.

NICOBULUS.

Át mihi iste óptumus Chrýsalus homó meum
Pérdidit fílium, me, átque rem omném meam.

PHILOXENUS.

Quíd tibi ex fílio nam, óbsecro, aegrést?

NICOBULUS.

Scies.
Périit is cúm tuo: aeque ámbo amicás habent.

PHILOXENUS.

Qui scís?

NICOBULUS.

Vidi.

PHILOXENUS.

Hei mihi, dísperii.

NICOBULUS.

Quíd dubitamus púltare atque huc évocare ambós foras?

PHILOXENUS.

Haúd moror ego.

NICOBULUS.

Heus Bácchis, iube sis áctutum aperirí fores,
Nísi voltis forés et postes cómminui secúribus.

1077. Menander: *ἐμοὶ παράστα· τὴν θύραν κόψας ἐγὼ καλῶ τιν' αὐτῶν.*

BACCHIDES. NICOBULUS. PHILOXENUS.

BACCHIS I.

Quis sónitu ac tumúltu tantó nominát me
Quis hás pultat aédis?

NICOBULUS.

Ego átque hic.

BACCHIS I.

Quid ést hoc
Negóti nam, amábo? quis ovís huc adégit?

NICOBULUS.

Ovís nos vocánt pessumaé.

BACCHIS II.

Pastor hárum
Dormít, sic quom eúnt a pecú palitántes.

BACCHIS I.

At haé pol niténti, sordidae ámbae haud vidéntur.

BACCHIS II.

Attónsae hae quidem ámbae usque súnt.

PHILOXENUS.

Ut vidéntur
Derídere nós.

NICOBULUS.

Sine suo úsque arbitrátu.

BACCHIS I.

Hem rérin' tu in ánno ter hás tonsitári?

BACCHIS II.

Pol hódie alterást iam bis détonsa cérto.

BACCHIS I.

Vetulaé sunt minae ámbae.

BACCHIS II.

At bonás fuisse crédo.

BACCHIS I.

Vidén' limulís, obsecro, út te intuéntur?

BACCHIS II.

Ecástor sine ómni arbitrór malitia ésse.

PHILOXENUS.

Merito hóc nobis fít, qui quidem húc venerímus.

BACCHIS I.

Cogántur quidem íntro.

BACCHIS II.

Haud sció, quid eo opús sit.
Nec láctem nec lánam ullam habént. sic sine ástent.
Exóluere, quánti fuére. omnis frúctus
Iam illís decidít. non vidés, ut palántes
Grasséntur? quin aétate crédo esse mútas:
Ne bálant quidém, quom a pecú cetero ábsunt.

1090. Varro de R. R. II. 2, 6. *minam, id est ventre glabro.*
1097. Interpres adscripserat: *solae, liberae.*
1099. Interpres addiderat: *stultae atque haud malae videntur.*

BACCHIS I.

Revórtamur íntro, sorór, iam illico ámbae.

NICOBULUS.

Immo ámbae manéte: haece ovés nunc volúnt vos.

BACCHIS II.

Pródigium hoc quidémst: humana nós voce appellánt oves.

PHILOXENUS.

Haéce oves vobís malam rem mágnam, quam debént, dabunt.

BACCHIS I.

Sí quam debes, té condono, tíbi habe, numquam abs té petam.
Séd quid est, quaprópter nobis vós malum minitámini?

PHILOXENUS.

Quía nostros agnós conclusos ístic esse aiúnt duos.

NICOBULUS.

Ét, praeter eos ágnos, meus est ístic clam mordáx canis:
Quí nisi nobis próducuntur iam átque emittuntúr foras,
Árietes trucés nos erimus: iam ín vos incursábimus.

BACCHIS I.

Soror, ést, quod te volo sécreto.

BACCHIS II.

Eho, amábo.

NICOBULUS.

Quo illae hinc ábeunt?

BACCHIS I.

Senem illúm tibi dedo ultériorem, lepide út lenitum réddas:
Ego ad húnc nunc iratum ággrediar. possúmus hos intro illícere huc.

BACCHIS II.

Meum pénsum ego lepide accúrabo, quamquámst mortem amplexári.

BACCHIS I.

Facito út facias.

BACCHIS II.

Taceás. tu tuum facito; égo quod dixi, fáciam.

NICOBULUS.

Quid illaéc illic in cónsilio duae sécreto consúltant?

PHILOXENUS.

Quid aís tu, mi homo?

NICOBULUS.

Quíd me vis?

PHILOXENUS.

Pudet dícere me tibi quíddam.

1114. Legebatur, quod ex v. 1164. illatum erat: *ego quod dixi haud mutabo.*

NICOBULUS.

Quid est, quód pudeat?

PHILOXENUS.

Sed amíco homini tibi quód volo credere
cértum est:
Nihilí sum.

NICOBULUS.

Istuc scio iámpridem. sed quíd nihili sis
mémora.

PHILOXENUS.

Tactús sum vehementér visco.

NICOBULUS.

* * * * * * *

PHILOXENUS.

Cor meúm stimulo foditúr.

NICOBULUS.

Pol tibi multo aéquius coxendícem.
Sed quíd istuc est? etsi ípse ego iam, quid sit,
prope scire putó me:
Verum aúdire etiam ex té studeo.

PHILOXENUS.

Viden' hánc?

NICOBULUS.

Video.

PHILOXENUS.

Haud mala múlier.

NICOBULUS.

Pol véro ista mala, et tú nihíli.

PHILOXENUS.

Quid múlta? ego amo.

NICOBULUS.

An amas?

PHILOXENUS.

Ναὶ γάρ.

NICOBULUS.

Tu homó putide, amatórne istac fieri aétate audes?

PHILOXENUS.

Quí non?

NICOBULUS.

Quia flágitiumst.

PHILOXENUS.

Quid opúst verbis? meo fílio non sum irátus.
Neque té tuost aequom esse íratum: si amánt, sapienter fáciunt.

BACCHIS I.

* * * * * * * * sequere hác.

NICOBULUS.

Eunt. eccas tándem,
Probripérlecebrae et persuástrices. quid núnc? iam redditis nóbis
Filiós et servom? an ego éxperior tecúm vim maiorem?

1123. Pseud. I. 5, 68. 69. 73.

PHILOXENUS.

Ábin' hinc?

Non tú quidem homo es, qui istóc pacto tam lépidam illepide appélles.

BACCHIS I.

Senex éptume, quantum est ín terra, sine hoc éxorarier ábs te,
Ut istúc delictum désistas tanto ópere ire oppugnátum.

NICOBULUS.

Ni abeás, quamquam tu es bélla, malum tibi mágnum dabo iam.

BACCHIS I.

Pátiar.

Non métuo, ne quid míhi doleat, quod férias.

NICOBULUS.

Ut blandíloqua est.

Hei míhi, metuo.

BACCHIS I.

Hic magis tránquillust. * *
* * * * * * * * * *

I hac mécum intro: atque ibi, sí quid vis, filiúm concastigáto.

NICOBULUS.

Abin' á me, scelus?

BACCHIS I.

Sine, méa pietas, te exórem.

1135. Excidit fortasse: *tu quoque tranquillus fito.*

NICOBULUS.

Exores tú me?

BACCHIS II.

Ego quídem ab hoc cèrte exórabo.

PHILOXENUS.

Immo ego te óro, ut me intro abdúcas.

BACCHIS II.

Lepidùm te.

PHILOXENUS.

At scin', quo pácto me ad te intro ábducas?

BACCHIS II.

Mecum út sis.

PHILOXENUS.

Omnía quae cupio, cómmemoras.

BACCHIS II.

* * * * * * * * * * *

NICOBULUS.

Vidi égo nequam hominem; vérum te nullúm deteriorem.

PHILOXENUS.

Íta sum.

BACCHIS I.

I hac mécum intro, ubi tíbi sít lepide victíbus, vino atque unguéntis.

NICOBULUS.

Satis, sátis iam vostri est cónvivi: nil poénitet, ut sim accéptus.

Quadrigéntis Philippis fílius me et Chrysálus circumduxérunt,
Quem quídem ego út non hodie éxcruciem, bis tántum auri non méream.

BACCHIS I.

Quid tándem, si dimídium auri reddítur? isne hac mecum íntro
Atque út eis delicta ígnoscas?

PHILOXENUS.

Faciét.

NICOBULUS.

Minime.

PHILOXENUS.

* * * *

NICOBULUS.

Noló, nil moror istúc: sine sic. malo íllos ulcisci ámbo.

PHILOXENUS.

Etiám tu homo nihilí, quod di dant cáve culpa tua amíssis.
Dimídium auri datur, áccipias, potésque, et scortum accúmbas.

NICOBULUS.

Egon', úbi filius corrúmpatur meus, íbi potem?

PHILOXENUS.

Potándum est.

NICOBULUS.

Age iám id, ut ut est, etsí satis est hodié dedecorum, pátiar?
Facere inducamne animúm meum ego ut quom haec cum íllo accubet, inspéctem?

BACCHIS I.

Immo équidem pol tecum áccumbam: te amábo, et te amplexábor.

NICOBULUS.

Caput prúrit. perii. vix negito.

BACCHIS I.

Num in méntem venit, amábo,
Si dúm vivas tibi béne facias, pol id ésse haud perlongínquom;
Neque hoc hódie si amíssis, id post in mórte eventurum úmquam?

NICOBULUS.

Quid agó?

PHILOXENUS.

Quid agas? rogitás etiam?

NICOBULUS.

Libet, ét metuo.

BACCHIS I.

Quid métuis?

NICOBULUS.

Ne obnóxius sim filio ét servo.

BACCHIS I.

Mel méum, amabo, istaec fiunt.
Tuumst: únde illum sumére censes, nisi quód tute illi déderis?
Hanc véniam illis sine te éxorem.

NICOBULUS.

Ut terebrát. satis offirmátum
Quod mi érat, id me exorát. tua iam sum opera ét propter te impróbior.

BACCHIS I.

Nae tís quam mea vellém. satin' ergo istúc habeo offirmátum?

NICOBULUS.

Quod díxi semel, haud mútabo.

BACCHIS I.

It dies, íte huc intro accúbitum.
Filií vos exspectánt intus.

NICOBULUS.

Quamne áctutum emoriámur.

BACCHIS I.

Vespér hic est; ité, sequimini.

PHILOXENUS.

Ducíte, quo lubet, addíctos.

1166. *Ite* post v. 1167. positum erat. Deinceps legebatur: *ducite nos quo lubet tamquam addictos.*

BACCHIS I.

Lepide ípsi hi sunt capti, suis qui filiís fecere insídias.

GREX.

Hí senes, nisi fuíssent nihili iam índe ab adulescéntia,
Nón hodie hoc tantúm flagitium fácerent canis cápitibus:
Néque adeo haec facerémus, ni antehac vídissemus fíeri,
Út apud lenonés rivales fíliis fierént patres.
Spéctatores, vós valere et cláre volumus plaúdere.

TYPIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

OCT 27 1899
JAN 20 1972 H

Lp 26.327
Recensuit Godofredus Hermannus.
Widener Library 006528192
3 2044 085 219 442